MASTER
NEGATIVE
NO. 91-80211-18

MICROFILMED 1992

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES/NEW YORK

as part of the
"Foundations of Western Civilization Preservation Project"

Funded by the
NATIONAL ENDOWMENT FOR THE HUMANITIES

Reproductions may not be made without permission from
Columbia University Library

COPYRIGHT STATEMENT

The copyright law of the United States -- Title 17, United States Code -- concerns the making of photocopies or other reproductions of copyrighted material...

Columbia University Library reserves the right to refuse to accept a copy order if, in its judgement, fulfillment of the order would involve violation of the copyright law.

AUTHOR:

[BROCKAMP, BERNHARD]

TITLE:

[QUAESTIONES HISTORICAE ATQUE...]

PLACE:

[MONASTERII GUESTIF.]

DATE:

[1891]

Master Negative #
91-8021-18

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

874
Z8
v.6

[Brockamp, Bernhard, 1866-
Quaestiones historicae atque chronologicae ad vitam resque gestas imperatoris M. Aurelii pertinentes... Monasterii Guestf., ex typographia Aschendorffiana, 1891.]
79 p. 22½ cm.

Thesis, Munster.

Volume of pamphlets

55584

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 MM REDUCTION RATIO: 1
IMAGE PLACEMENT: IA IIA IB IIB
DATE FILMED: 9-12-9 INITIALS RR
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

BIBLIOGRAPHIC IRREGULARITIES

MAIN ENTRY: [BROCKAMP, BERNHARD]

Bibliographic Irregularities in the Original Document

List volumes and pages affected; include name of institution if filming borrowed text.

_____Page(s) missing/not available:

_____Issue(s) missing/not available:

_____Volumes(s) missing/not available:

_____Illegible and/or damaged page(s):

_____Page(s) or volumes(s) misnumbered:

_____Bound out of sequence:

_____Page(s) or illustration(s) filmed from copy borrowed from:

__X__Other: 3 UNNUMBERED PAGES, THEN NEXT PAGE IS 6


AIIM
Association for Information and Image Management
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202
Centimeter
1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm
Inches
1 2 3 4 5
MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

No. 11

MATRI MEAE

SACRUM.

Caput I.

De Marci Aurelii adulescentia atque eruditione.

Marcus Annius Verus, quem nomine M. Aurelii appellare solemus, natus est Romae a. d. VI. Kal. Maias anni centesimi vicesimi primi in monte Coelio avo Annio Vero iterum et Augure consulibus. [1]) Oriundus erat genere quidem nobilissimo atque illustrissimo, sed non antiquo. De patre Annio Vero nihil fere memoriae traditum est, nisi quod Capitolinus eum in praetura vita decessisse dicit [2]). Marci avum paternum, Annium Verum, a Vespasiano et Tito censoribus in patricios adscitum iterum vel ter consulem urbisque praefectum fuisse constat. [3]) Cuius pater, cui, ut filio et nepoti, Annii Veri nomen fuit, paulo postquam Succubitano, ex urbe in Hispania sita, Romam venit, praetor et senator factus est, unde elucet, eum brevi magnam ibi auctoritatem sibi comparavisse. Matrem Marci fuisse accepimus Domitiam Lucillam [4]), cuius patrem Calvisium

---

[1]) Scriptores historiae Augustae rec. Hermannus Peter, Lipsiae 1884. (Capitolinus, Vita Marci I. 5); Orelli, inscriptionum collectio 1104; vide Appendix II. n. 1.

[2]) V. M. I. 1.

[3]) Dionis Cassii Cocceiani historia Romana ed. Dindorf, Lipsiae 1864. 69. 21. 1; cf. Mommsen, Inscriptiones Regni Neapolitani (J. R. N.) 459 = Orelli 3462; v. App. II. 2.

[4]) Aelius Spartianus, V. Didii Juliani II. 3: „Educatus apud Domitiam Lucillam, matrem Marci imperatoris.“ cf. V. M. VI. 9 .... qui, cum Lucillam matrem Marci in virdiario venerantem simulacrum Apollinis vidisset, insu surravit .... V. M. I. 3. dicit Capitolinus matri Marci nomen Domitiae Cal-

Tullum bis consulatu functum esse Capitolinus tradidit [1]). Praeterea patrui, Marci, Annii Libonis consulis, et aviae

villae fuisse, sed falso. De Domitia Lucilla cf. M. Cornelii Frontonis et M. Aurelii imperatoris epistulae ed. Naber, Lipsiae 1867, p. 79, 90; Borghesi, Oeuvres numismatiques, Paris 1862. III. p. 36.

[1]) V. M. I. 3; Fronto, ep. p. 41; Borghesi. Oeuvres, I. p. 459; Pagi „Critica in Baronium" ad an. 111. Capitolinus V. M. I. 4. memoriae prodidit, Calvisium Tullum filium Catilii Severi fuisse, quem bis consulatu urbisque praefectura functum esse notum est. Capitolinum igitur secuti viri doctissimi Catilium Severum proavum maternum M. Aurelii fuisse pro certo putaverunt, quibus equidem his de causis non adstipuler.

P. Calvisium Tullum consulem fuisse anno 109 p. Chr. n. constat (cf. Clinton, Fasti Romani ad a. 109); qua de causa, si posuerimus, illum consulatum adeptum esse virum triginta quinque annorum, natus est anno 74 p. Chr. n. Quam ad opinionem optime quadrat, quod M. Aurelius in epistula ad magistrum Frontonem data (cf. Naber p. 41) dicit Herodem Atticum, quem sub anno 100 natum esse accepimus (cf. Heyse, zeitschrift für das altertum 1839 p. 977) apud avum suum P. Calvisium Tullum educatum esse. Sed fortasse quispiam dixerit, in epistula illa Herodem Atticum nomine non appellari; at, qui hanc epistulam atque eam, quae sequitur, legerit, non dubitabit, quin illo loco Herodes Atticus intellegendus sit. Itaque cum statuerimus, Calvisium Tullum anno 74 natum esse, patrem eius, qui Catilius Severus fuisse fertur, post annum 54 natum esse non verisimile est. Quem anno 120 iterum consulatu functum paulo post Syriae praepositum esse narrat Aelius Spartianus in Vita Hadriani V. 10. Idem rerum scriptor prodidit Catilium Severum, anno 128 urbi praefectum, simulatque ei delatum est ab Hadriano Antoninum, cui postea Pii nomen datum est, adoptatum esse, seditionem movisse, paulo post tamen ab Hadriano imperatore potestate expulsum esse. cf. V. Hadr. XXIV. 6 sq., ubi haec habes verba: „Antonini adoptionem plurimi tunc factam esse doluerunt, speciatim Catilius Severus, praefectus urbi, qui sibi praeparabat imperium. Qua re prodita successore accepto, dignitate privatus est." Quae cum ita se habeant, mea quidem sententia Catilium Severum proavum maternum M. Aurelii fuisse negari debet. Neque enim credibile est Catilium Severum, illo tempore iam virum octoginta quattuor annorum, ut statuimus, conatum esse, ut imperium adipisceretur, seditionem movere, praesertim cum cogitaveris, pronepotem eius, Marcum Aurelium, ab Hadriano successorem destinatum esse. Praeterea eo quoque offendor, quod Catilium Severum consulem fuisse anno 120 tradunt, cum filius eius Calvisius Tullus iam anno 109 consulatu functus sit. Qua de causa iusto iure me contendere puto a Capitolino rem falso traditam esse, quod haud negabit, qui ea, quae nobis de maioribus paternis M. Aurelii tradita sunt, accuratius comparaverit. Neque enim dubium est, quin avus paternus, Annius Verus, anno 121 consul (cf. V. M. I. 5) et anno 134 urbi praefectus fuerit (cf. J. R. N.

paternae, Rupiliae Faustinae, Rupili Boni consularis filiae, Capitolinus mentionem facit [1]). Marci unica soror natu minor Annia Cornificia fuit [2]), coniunx Ummidii Quadrati [3]), quae anno 161 iam mortua fuisse videtur [4]). Frater germanus ei non fuit [5]).

Neque hoc loco omittendum est, quod Marcus cum imperatore Antonino Pio consanguinitate propinquus fuit, quippe cuius

1459. v. App. II. 2.) Quam ob rem verisimile non est proavum maternum anno demum 120 consulem et anno 138 praefectum urbi fuisse. Sed cum nobis a reliquis rerum scriptoribus nihil de proavo materno traditum sit, equidem, qui ille fuerit, nescio.

[1]) V. M. I. 4.

[2]) V. M. I. 8; IV. 7; VII. 4. Fronto ad M. Caesarem ep. V. 8. p. 79; Orelli 5475; v. App II. 3. Borghesius Oeuvres p. 38 errat dicens nomen Marci sororis ignotum esse. Nam Capitolinus v. M. I. 8 expressis verbis tradidit sorori nomen Anniae Cornificiae fuisse. Ita in titulis quoque legimus, cf. Orelli 5475, 5476. Qua de causa virum doctissimum non recte opinari puto Marci sorori Lucillae nomen fuisse.

[3]) V. M. VII. 4. Capitolinus tradidit „Mummius Quadratus"; Borghesius Oeuvr. VIII. p. 556 ostendit pro Mummio Quadrato legendum esse Ummidio Q. cf. Orelli 5476; v. App. II. 4.

[4]) V. M. VII. 4. Anniam Cornificiam, Marci unicam sororem, iam mortuam fuisse, priusquam Marcus imperium adipisceretur, mihi elucere videtur verbis Capitolini dicentis l. c.: „Bonorum maternorum partem Mummio Quadrato, sororis filio, quia illa iam mortua erat, tradidit. Post excessum divi Pii a senatu coactus regiminis publici fratrem . . . participem designavit."

[5]) Fratrem germanum Marco non fuisse evidenter effici posse puto verbis ipsius. Dicit enim in libro, qui inscribitur, *τῶν εἰς ἑαυτόν* (ed. Stich.) I. 17: *Παρὰ τῶν θειῶν τὸ ἀγαθοὺς πάππους, ἀγαθοὺς γονέας, ἀγαθὴν ἀδελφήν, ἀγαθοὺς διδασκάλους, ἀγαθοὺς οἰκείους, συγγενεῖς, φίλους, σχεδὸν ἅπαντα σχεῖν.* Haud dubie hoc loco, quo parentes, sororem, consanguineos laudibus celebrat, fratrem quoque, si ei fuisset, commemoravisset. Sane alio loco libri eiusdem I. 14 fratris germani mentio fit, nam legimus: *„Παρὰ τοῦ ἀδελφοῦ μου Σεουήρου τὸ φιλόκειον. . ."* Verba illa *„τοῦ ἀδελφοῦ μου"* multos offenderunt; neque mirum est, cum nihil de Marci fratre germano traditum sit. Equidem verba *„τοῦ ἀδελφοῦ μου"* ab librario quodam, qui, cum legeret „Severum" de Lucio Vero, qui postea imperii particeps fuit et saepissime Marci frater appellatur, cogitabat, addita esse contenderim. Illo enim loco de Marci Aurelii praeceptoribus agitur, quibus imperator laudes pro beneficiis in se collatis tribuit. Cum autem Capitolinus V. M. III. 3. nobis praeceptorem philosophiae peripateticae Marci Aurelii Claudium Severum tradiderit, probabile est hoc loco eum intellegendum esse, praesertim cum cogitaveris Marcum ibi Severo gratias referre, quod se hortatus esset, ut in philosophiae studio permaneret.

uxor Faustina Marci amita fuerit [1]). Cum eodem Marcus postea affinitate coniunctus fuit: nam filiam eius Galeriam Faustinam in matrimonium duxit [2]).

Quibus expositis iam videamus, quae de Marci educatione atque eruditione memoriae nobis tradita sint.

Patre Annio Vero praematura morte absumpto filius ab avo paterno Annio Vero adoptatus et educatus est [3]). Sed iam prima adulescentia ei cum Hadriano imperatore ipso, qui puerum praeclaris virtutibus excellentem maxime adamaverat eumque propter magnum veritatis amorem Verissimum nominavisse dicitur [4]), usus fuit. [5]) Ab eodem Marcus octo annos natus in Saliorum collegium cooptatus est [6]), in quo sacerdotio praesul, vates, magister fuit.

Puero igitur iam prima adulescentia excellenti ingenio ac praestanti indole praedito, avus paternus Annius Verus bonam educationem atque disciplinam dedit, qua re factum est, ut ne pos ab omnibus istis vitiis sceleribusque, quibus praecipue iuvenes Romani illius aetatis depravabantur, intactus maneret, et neque turpi desidiae neque luxuriae se daret, sed summam industriam diligentiamque ad bonarum artium litterarumque studium conferret. Praeceptores Marci viri doctissimi ac celeberrimi nobis traditi sunt, qui puerum omnes artes litterasque diligentissime docuerunt, quibus quondam invenes nobilissimi studuerant, priusquam ad rei publicae administrationem accederent.

[1]) V. M. I. 3.

[2]) Eutrop. VIII. 10; V. Ant. P. X. 2; V. M. VI. 6.

[3]) V. M. I. 10.

[4]) V. M. l. c.

[5]) V. M. IV. 1. Ibi legitur: „Educatus est in Hadriani gremio." Quae Capitolini verba obscura sunt. Mea sententia scriptor Marcum puerum cum Hadriano consuetudine coniunctum fuisse significare voluit. Dicit enim Cap. V. M. V. 3. Marcum anno demum 138 in domum privatam Hadriani venisse; loco illo haec leguntur: „Ubi autem comperit, se ab Hadriano adoptatum magis est deterritus, quam laetatus, iussusque in Hadriani privatam domum migrare, invitus de maternis hortis recessit." Praeterea verbis Marci ipsius elucet se non in Hadriani gremio educatum esse; dicit enim *εἰς ἑαυτόν* I. 4: *Παρὰ τοῦ προπάππου τὸ μὴ εἰς δημοσίας διατριβὰς φοιτῆσαι· καὶ τὸ ἀγαθοῖς διδασκάλοις κατ' οἶκον χρήσασθαι.*

[6]) V. M. IV. 2.

Praeceptorum, quorum Capitolinus permultos memoriae prodidit, paucos afferre liceat.

Primis elementis ab Euforione Geminoque imbutus est [1]); grammaticae Graecae praecepta Marco tradidit Alexander [2]), Latinae Trosius Aper [3]), Pollio, Eutychius, Proculus Siccensis [4]). Iuris disciplinam doctus est a Lucio Volusio Maeciano [5]), Q. Cervidio Scaevola [6]), viris illis temporibus clarissimis.

Praeterea Marcus adulescens in arte oratoria enixe operam posuit, qua in disciplina eruditus est ab Herode Attico [7]) ac Cornelio Frontone. Prae ceteris praecipue Cornelius Fronto, [8]) qui vir illis temporibus totaque media aetate maximam eloquentiae opinionem [9]) habuit, apud discipulum auctoritate valuit, ut is magistro suo omnino deditus esset. Atque ut magister per

[1]) V. M. II. 2.

[2]) V. M. II, 3; *εἰς ἑαυτόν* I. 10: *Παρὰ Ἀλεξάνδρου τοῦ γραμματικοῦ τὸ ἀνεπίπληκτον καὶ τὸ μὴ ὀνειδιστικῶς ἐπιλαμ[β]άνεσθαι τῶν βάρβαρον, ἢ σολοικόν τι, ἢ ἀπηχὲς προενεγκαμένων, ἀλλ ἐπιδεξίως αὐτὸ μόνον ἐκεῖνο, ὃ ἔδει εἰρῆσθαι, προφέρεσθαι, ἐν τρόπῳ ἀποκρίσεως, ἢ συνεπιμαρτυρήσεως, ἢ συνδιαλήψεως περὶ αὐτοῦ τοῦ πράγματος, οὐχὶ περὶ τοῦ ῥήματος, ἢ δι' ἑτέρας τινὸς τοιαύτης ἐμμελοῦς π ρυπομνήσεως.*

[3]) V. M. II. 3. Non recte faciunt Im. Forster, M. Aur. Antonini vitam et philosophiam, Rastadt 1869. p. 4 et A Heysler, De vita et placitis Marci Aurelii Autonini imperatoris philosophiae Stoicae sectatoris. Brixen 1858, p. 10, cum pro „Trosium Aprum" legunt: „Trosium, Aprum". Apri cuiusdam Tacitus mentionem facit in dialogo de oratoribus c. 3—10, 16—23, eumque laudat virum magnae eloquentiae. Sed Aprum illum Taciti temporibus iam mortuum fuisse, elucet verbis Taciti ipsius. cf. Tac. l. c. 11. 7. 17. De altero autem Apro a rerum scriptoribus nihil traditum est.

[4]) V. M. II. 3.

[5]) V. M. III. 6.

[6]) V. M. XI. 10.

[7]) De Herode Attico cf. Fronto ep. p. 17, 42, 43, 61, 116, 138; V. M. II. 5. Heyse l. c. p. 990 contendit Herodem Atticum anno 140 Romae praeceptorem M. Aurelii et Lucii Veri fuisse.

[8]) V. M. II. 5. Dio 71. 35. 1. Orelli 1176: M. Corneli Frontonis oratoris consulis, magistri imperatorum Luci et Autonini.

[9]) Eutrop. VIII. 12.: Latinas litteras eum Fronto, orator nobilissimus, docuit; Hieronymus ad a. Abr. 2180 = 164 p. Chr. n.: Fronto orator insignis habetur, qui M. Antoninum Verum latinis litteris erudivit; Eumenius panegyricus in Constantium Caes. ed. Bähr p. 141,28: Fronto, Romanae eloquentiae non secundum sed alterum decus".

totam vitam in discipulum propensa voluntate fuit [1]), ita discipulus magistro summam reverentiam caritatemque praestitit [2]). Quam intima amicitia hi duo viri inter se coniuncti fuerint, argumento est assiduum inter eos epistularum commercium. At dubitari non potest, quin hic tam intimus usus magistri discipulo multum nocuerit, quod, quicunque epistulas illas accuratius perspexerit, non negabit. Nam praecepta, quae Fronto in iis discipulo dat, ad animum excolendum moresque conformandos ita non idonea sunt, ut non solum maxime ridicula, sed etiam perversa esse contenderim. Denique autem Marcus, cum sibi persuasisset talia praecepta a magistro data sibi prodesse non posse, Frontonis disciplinam neglexit et eo maiorem operam philosophiae studio navavit [3]). Quod cum magister animadvertisset, nihil inexpertum omisit, ut discipulum a consilio suo revocaret [4]) ; qui tamen, quamvis diligenter Fronto moneret, in proposito susceptoque consilio permansit.

---

[1]) Fronto p. 50.: Quid est mihi osculo tuo suavius? ille mihi suavis odor, ille fructus in tuo collo atque osculo situs est.

[2]) Fronto p. 3. Neque me sinit ad meum Frontonem, ad meam pulcherrimam animam confestim percurrere; p. 4 . . . o quis ubique estis, di boni, valeat oro meus Fronto iucundissimus atque carissimus mihi, valeat semper integro inlibato incolumi corpore: valeat, ut mecum esse possit. Homo sanctissime vale, p. 27 . . . ego vero te, qui minorem vim in amando possideo, magis amabo, quam ullus hominum te amat: magis denique, quam tu temet ipsum amas; p. 35 . . . . sed o me beatum, qui a Marco Cornelio meo, oratore maximo, homine optimo laudari et reprehendi dignus esse videor.

[3]) Discipulo displicuisse, quae magister proposuerat, epistula quadam ad Frontonem data elucet, in qua adulescens satis perspicue iudicat se in posterum philosophiae studio vacare velle. cf. Fronto p. 75. In hac enim epistula magistro scribit: Nam quod scribendum dedisti, ne paululum quidem operae ei, quamvis otiosus, dedi. Aristonis libri me hac tempestate bene accipiunt, atque idem habent male: cum docent meliora, tum scilicet bene accipiunt, cum vero ostendunt, quantum ab his melioribus ingenium meum relictum sit, nimis quam saepe erubescit discipulus tuus sibique succenset, quod viginti quinque natus annos nihildum bonarum opinionum et puriorum rationem animo hauserim. Itaque poenas do, irascor, tristis sum, *ζηλοτυπῶ*, cibo careo.

[4]) Fronto ep. de eloquentia (p. 146): Tum si studium philosophiae in rebus esset solis occupatum, minus mirarer, quod tanto opere verba contemneres. Discere te autem ceratinas et soritas et pseudomenus, verba con-

Illis temporibus imprimis quattuor philosophorum scholae floruerunt: Platonis, Aristotelis, Epicuri, Stoicorum. Ad omnes has diversas disciplinas Marcus instructus est. Usus est praeceptoribus Alexandro Platonico [1]), Claudio Severo Peripatetico [2]), Junio Rustico [3]), Apollonio Chalcedonio [4]), Cinna Catulo [5]), Claudio Maximo [6]) Stoicis. Epicuri philosophiam ei non ignotam fuisse, quamquam praeceptores, qui eum hanc docuerunt, non nominantur, elucet verbis Marci ipsius dicentis: *Ἐπὶ μέντοι τῶν πλείστων πόνων καὶ τὸ τοῦ Ἐπικούρου σοι βοηθήσει, ὅτι οὔτε ἀφόρητοι, οὔτε αἰώνιον, ἐὰν τῶν ὅρων μνημονεύῃς, καὶ μὴ προσθῇξάζῃς* [7]). Eodem modo, si legeris librum illum, qui inscribitur *τῶν εἰς*

---

torta et fidicularia, neglegere vero cultum orationis et gravitatem et maiestatem et gratiam et nitorem, hoc indicat loqui te quam eloqui malle, murmurare potius et friguttire, quam clangere; p. 148: Quin erige te et extolle, et tortores istos, qui te ut abietem aut alnum proceram incurvant et ad chamaetorta detrahunt, valido cacumine tuo excute . . .

[1]) *Εἰς ἑαυτόν* I. 12. *Παρὰ Ἀλεξάνδρου τοῦ Πλατωνικοῦ, τὸ μὴ πολλάκις, μηδὲ χωρὶς ἀνάγκης λέγειν πρός τινα, ἢ ἐν ἐπιστολῇ γράφειν, ὅτι ἄσχολός εἰμι· μηδὲ διὰ τούτου τοῦ τρόπου συνεχῶς παραιτεῖσθαι τὰ κατὰ τὰς πρὸς τοὺς συμβιοῦντας σχέσεις καθήκοντα προβαλλόμενον τὰ περιεστῶτα πράγματα.*

[2]) V. M. III. 3. Cf. quae de eo exposui p. 7.

[3]) V. M. III. 3. Dio 71. 35. 1; *εἰς ἑαυτόν* I. 7. *Παρὰ Ῥουστίκου, τὸ λαβεῖν φαντασίαν τοῦ χρῄζειν διορθώσεως καὶ θεραπείας τοῦ ἤθους· καὶ τὸ μὴ ἐκτραπῆναι εἰς ζῆλον σοφιστικὸν μηδὲ τὸ συγγράφειν περὶ τῶν θεωρημάτων, ἢ προτρεπτικὰ λογάρια διαλέγεσθαι, ἢ φαντασιοπλήκτως τὸν ἀσκητικόν, ἢ τὸν εὐεργετικὸν ἄνδρα ἐπιδείκνυσθαι· καὶ τὸ ἀποστῆναι ῥητορικῆς, καὶ ποιητικῆς, καὶ ἀστειολογίας· καὶ τὸ μὴ ἐν στολῇ κατ' οἶκον περιπατεῖν, μηδὲ τὰ τοιαῦτα ποιεῖν.*

[4]) V. M. II. 7; Fronto p. 86; *εἰς ἑαυτόν.* I. 8. *Παρὰ Ἀπολλωτίου, τὸ ἐλεύθερον καὶ ἀναμφιβόλως ἀκύβεντον· καὶ πρὸς μηδὲν ἄλλο ἀποβλέπειν, μηδὲ ἐπ' ὀλίγον, ἢ πρὸς τὸν λόγον: καὶ τὸ ἀεὶ ὅμοιον, ἐν ἀλγηδόσιν ὀξείαις, ἐν ἀποβολῇ τέκνου, ἐν μακραῖς νόσοις . . .*

[5]) V. M. III. 2, *εἰς ἑαυτόν* I. 13. *Παρὰ Κατούλου, τὸ μὴ ὀλιγώρως ἔχειν φίλου αἰτιωμένου τι, κἂν τύχῃ ἀλόγως αἰτιώμενος, ἀλλὰ πειρᾶσθαι καί ἀποκαθιστάναι ἐπὶ τὸ σύνηθες . . .*

[6]) V. M. III. 2; *εἰς ἑαυτόν* I. 15. *Παρὰ Μαξίμου, τὸ κρατεῖν ἑαυτοῦ καὶ κατὰ μηδὲν περίφορον εἶναι· καὶ τὸ εὔθυμον ἔν τε ταῖς ἄλλοις περιστάσεσι, καὶ ἐν ταῖς νόσοις· καὶ τὸ εὔχρατον τοῦ ἤθους, καὶ μειλίχιον, καὶ γεραρόν· καὶ τὸ οὐ σχετλίως κατεργαστικὸν τῶν προκειμένων.*

[7]) *Εἰς ἑαυτόν* VII. 64. Etiam aliis locis Marcus Epicuri praeceptorum verbis singularibus mentionem facit. cf. *εἰς ἑαυτόν* IX. 41; XI. 26; cf. Zeller, p. 339 sqq.

ἑαυτόν, invenies laudatos mores celebratasque sententias philosophorum, virorum illorum illustrissimorum, Pythagorae [1]), Heracliti [2]), Democriti [3]), Platonis [4]), Socratis [5]).

Omnium autem harum diversarum disciplinarum Marcum maxime arridebat Stoicorum [6]). Gravis Stoicus illis temporibus fuit Epictetus, qui vir humillimo loco natus, philosophiam excoluit perfecitque; ad hunc virum imitandum adulescens se contulit, neque negari potest Marci philosophiam Epicteti fundamentis niti. Quanti viri illius doctissimi philosophiam Marcus aestimaverit, inde cognosci potest, quod magistro suo Rustico magnas gratias egit, cum sibi copiam Epicteti commentariorum fecisset [7]). Tanto ardore philosophiae flagravit, ut iam imperator factus quin etiam gravissimis belli temporibus eam non neglegeret. Hactenus de Marci studiis philosophicis [8]).

---

[1]) *Εἰς ἑαυτόν* XI. 27. *Οἱ Πυθαγόρειοι, ἔωθεν εἰς τὸν οὐρανὸν ἀφορᾶν ἵν' ὑπομιμνησκώμεθα τῶν ἀεὶ κατὰ τὰ αὐτὰ καὶ ὡσαύτως τὸ ἑαυτῶν ἔργον διαννόντων καὶ τῆς τάξεως, καὶ τῆς καθαρότητος, καὶ τῆς γυμνότητος. Οὐδὲν γὰρ προκάλυμμα ἄστρου.*

[2]) *Εἰς ἑαυτόν* IV. 46. *Ἀεὶ τοῦ Ἡρακλειτείου μεμνῆσθαι· ὅτι γῆς θάνατος ὕδωρ γενέσθαι καὶ ὕδατος θάνατος ἀέρα γενέσθαι, καὶ ἀέρος πῦρ, καὶ ἔμπαλιν*; VI. 24. *Πάντες εἰς ἓν ἀποτέλεσμα συνεργοῦμεν, οἱ μὲν εἰδότως καὶ παρακολουθητικῶς, οἱ δὲ ἀνεπιστάτως· ὥσπερ καὶ τοὺς καθεύδοντας, οἶμαι, ὁ Ἡράκλειτος ἐργάτας εἶναι λέγει, καὶ συνεργοὺς τῶν ἐν τῷ κόσμῳ γινομένων.*

[3]) *Εἰς ἑαυτόν* IV. 24. *Ὀλίγα πρῆσσε, φησίν* (sc. Democritus), *εἰ' μέλλεις εὐθυμήσειν.* cf. Seneca „de ira" III. 6. 2. „de tranquillitate" XII. 4.

[4]) *Εἰς ἑαυτὸν* III. 6; VII. 66.

[5]) *Εἰς ἑαυτὸν* VII. 48. *Καλὸν τὸ τοῦ Πλάτωνος. Καὶ δὴ περὶ ἀνθρώπων τοὺς λόγους ποιούμενον, ἐπισκοπεῖν δεῖ καὶ τὰ ἐπίγεια ὥσπερ ποθὲν ἄνωθεν, κατὰ ἀγέλας, στρατεύματα . . . καὶ τὸ ἐκ τῶν ἐναντίων συγκοσμούμενον.*

[6]) V. M. XVI. 5.

[7]) *Εἰς ἑαυτόν* I. 7. *Παρὰ Ῥουστίκου . . . καὶ τὸ ἐντυχεῖν τοῖς Ἐπικτητείοις ὑπομνήμασιν, ὧν οἴκοθεν μετέδωκεν.*

[8]) De Marci Aurelii studiis philosophicis vide, quae exposuerunt Nicolaus Bach: De M. Aur. Antonino imperatore philosophante ex ipsius commentariis scriptio philologica, Lpz. 1826; Im. Forster l. c.; Arnold Braune: Marc Aurels meditationen in ihrer einheit und bedeutung, Altenburg 1878; A. Heysler l. c.; M. Königsbeck: De stoicismo Marci Antonini, Regimont. 1861.

Sed in his litterarum studiis corporis exercitationes non omnino neglectae sunt [1]); id autem cogitari potest, eum illis non magis inservivisse, quam cuivis civi Romano opus erat, praesertim cum ineunte adulescentia infirma valetudine esset [2]),

Caput II.

Marcus Aurelius praeclaris virtutibus excellens ab Hadriano imperatore Antonini Pii successor designatur.

Marcus Aurelius ita optime doctus et educatus iam adulescens virtutibus praeclaris inter aequales suos excellens fuit.

Primo loco afferenda sunt verecundia atque oboedientia, quam discipulus erga praeceptores suos praebuit. In omnes animum memorem praestitit et quanti disciplinam doctrinamque ab iis acceptam duxerit, argumento sunt honores, quibus magistros imperium adeptus cumulavit atque ornavit. Ut exemplum afferam, Proculum, qui eum grammaticam Latinam docuerat, proconsulem fecit [3]); Frontonem et Iunium Rusticum ad consulatus dignitatem evexit [4]).

Eandem pietatem Hadriano imperatori imprimisque patri suo adoptivo Antonino Pio praestitit [5]), qui ea de causa tantopere Marco confidebat, ut, cum essent, qui ei suspicionem moverent ut viro regnandi cupido, omnino non eorum sermonibus aures daret [6]). Optimo igitur iure Capitolinus dicit: Quod omnino apud Pium non valuit: tanta erat Marci probitas, et tanta in imperatorio principatu modestia [7]).

Qua cum verecundia erga propinquos cognatosque coniun-

---

[1]) V. M. IV. 10. Amavit pugillatum, luctamina et cursum et aucupatus et pila lusit adprime et venatus est.

[2]) V. M. III. 7.

[3]) V. M. II. 5: Proculum vero usque ad proconsulatum provexit oneribus in se receptis.

[4]) V. M. III. 4.

[5]) V. M. VI. 8; Dio 71. 35, 2. 3.

[6]) V. M. VI. 9.

[7]) V. M. VI. 10.

xit Marcus summam comitatem liberalitatemque erga amicos suos eosque, qui imperio eius dediti erant [1]).

Sed non minus laudandae sunt Marci industria [2]), probitas, parsimonia. Nam cum illa aetate plerique homines praecipueque frater adoptivus Lucius Verus luxuriae libidinibusque se dederent, ipse cum corpus laboribus perferendis [3]), tum animum litterarum studio firmavit ac corroboravit. Et ut ipse voluptates neglegebat atque spernebat, ita sumptibus moribusque luxuriosis matronarum et iuvenum libidinibus cum modum fecit [4]), tum summae frugalitati parsimoniaeque studuit [5]), qua quidem pru-

[1]) V. M. III. 9; X. 1; XII. 1.

[2]) Dio 71. 6; V. M. X. 7.

[3]) V. M, II. 6.

[4]) V. M. XXIII. 8.

[5]) V. M. V. 8. „Eratque haud secus rei suae, quam in privata domo parcus ac diligens; Dio 71. 32. 4: *Τὰ μὲν γὰρ ἄλλα οἰκονομικώτατος ὡς ἀληθῶς ἦν.* Qua de causa immerito Schillerus (geschichte der roemischen kaiserzeit) Gotha 1883, vol. II. p. 652 sq.) nimiam liberalitatem Marco opprobrio facit dicens: Die finanzpolitik des Marcus war schlecht, indem er auf diesem gebiete seine natürliche gutmütigkeit und seine philosophischen Theorien über das staatsinteresse praepondieren liess. So gab er bei seiner thronbesteigung jedem praetorianer die bedeutende summe 20000 sestertien, ohne dass sich irgend ein grund für eine solche massregel erkennen liess; denn weder von praetendenten, noch von äusseren gefahren war die rede. Haec Schillerus. Equidem contra dicam. Imperatores ansa singulari data, sive ineunte imperio, sive victores bello reversos solitos esse militibus praeclara dona dare notum est. Ita Hadrianus imperium adeptus militibus duplicem largitionem tribuit. cf. Ael. Spartianus V. Hadr. V. 7. Praeterea comperimus eum saepe imperatorem civibus congiarium, quod dicitur, dedisse. cf. V. Hadr. VII. 3; XXIII. 12; atque adeo Antoninum Pium, successorem eius, novies praebuisse populo congiarium constat. cf. Eckhel, Doctrina nummorum VII. p. 11, 14, 17, 18, 19, 23, 24, 27. Quam ob rem fieri non poterat, quin Marcus prorsus illum morem tolleret, quod civium animos omnino a se alienasset. Qua de causa septies congiarium populo dedit. cf. Eckhel VII. p. 51, 53, 57, 62; V. M. XXII. 12; XXVII. 5, 8. Quod Schillerus dicit Marco imperio ineunte causam talis muneris non fuisse, cum bellum ab exteris gentibus non imminuisset, hoc addam iam Antonini Pii aetate bellum Parthicum, quod Marco imperium adepto statim ortum est, imminuisse, tunc quidem epistula Antonini Pii retentum esse. cf V. M. VIII. 6. Atque cur Schillerus vituperet, imperatorem postea septies populo dona dedisse non intellego, cum constet illo tempore Romanos bellorum diuturnitate, Tiberis

denti parsimonia non impeditus est, quominus adversus propinquos et viros optime de civitate meritos liberalis esset [1]). Cuius liberalitati documento quoque est, quod, cum mater patre mortuo filium advocassset, ut patrimonium suum cum sorore Cornificia divideret, totum id sorori suae concessit, respondens se avi bonis contentum futurum esse [2]). Eodem modo Marcus semel atque iterum erga cives suos maxime liberalis fuit eosque vel pecunia vel frumento adiuvit ac saepe iis provinciis, quae aut magistratuum avaritia aut vectigalium gravitate aut belli calamitatibus maxime oppressae erant, et in complures annos vectigalia remisit [3]) et pecuniam donavit. Quam quidem liberalitatem Schillerus, vir ille doctissimus, Marco crimini dedit, sed immerito, ut exposuimus.

Quibus tot et tam praeclaris virtutibus cum corporis tum animi Marcus adeo imperatoris Hadriani benevolentiam sibi comparavit, ut is adulescenti amplissimos honores tribueret. Nam, simulatque adulescens quattuordecim annos natus togam virilem induit [4]), Hadrianus ei filiam Lucii Ceionii Commodi, qui vir ab imperatore, cum ipsi stirps non esset, successor destinatus erat, despospondit [5]), eundem praefectum quoque feriarum

inundatione, pestis famisque saevitia ad extremam inopiam redactos esse. Qua de causa Marco potius summae laudi tribuendum est, quod cives tantis malis afflictos, quantum potuit, adiuvit.

[1]) V. M. III. 9.

[2]) V. M. IV. 7.

[3]) Dio 71. 32. 2, 3. *Ταῦτά τε ἔπραξε, καὶ τοῖς ὀφείλουσί τι τῷ βασιλικῷ καὶ τῷ δημοσίῳ πᾶσι πάντα τὰ ὀφειλόμενα ἀφῆκεν ἀπὸ ἐτῶν ἓξ καὶ τεσσαράκοντα... χρήματά τε πολλαῖς πόλεσιν ἔδωκεν, ἐν αἷς καὶ τῇ Σμύρνῃ δεινῶς ὑπὸ σεισμοῦ φθαρείσῃ.*

[4]) V. M. IV. 5.

[5]) V. M. IV. 6; Sievers: Studien zur Geschichte der römischen Kaiser, Berlin 1870, p. 183 errat dicens Marcum filiam L. Ceionii Commodi uxorem duxisse. Quae Sieversii sententia neque inscriptionibus neque rerum scriptorum verbis probatur. Praeterea autem Capitolinus diserte atque plane narrat Antoninum Pium Hadriano mortuo sponsalia illa solvisse. cf. Cap. V. M. VI. 2., ubi haec exstant verba: Post excessum Hadriani statim Pius per uxorem suam Marcum sciscitatus est et eum dissolutis sponsalibus, quae cum Lucii Ceionii Commodi . . . . desponderi voluerat. Sed hac re non minus Siversius fallitur, quod putat in inscriptione quadam (cf. Boeckh, Corpus Inscriptionum Graecarum (C. I. Gr.) 2965, v. App. II. 5.) filiam L.

fecit [1]). Sed paulo post adulescenti M. Annio Vero etiam maiores honores tribuit. Supra iam dixi Hadrianum L. Ceionium Commodnm Verum adoptasse; qui cum ineunte anno 138 mortuus esset, imperator paulo post Titum Aurelium Antoninum Pium successorem sibi esse voluit, eumque ea conditione arrogavit, ut ipse sibi duos adoptaret, M. Annium Verum et L. Ceionium Commodum Verum, filium Ceionii Commodi, quem Hadrianus adoptaverat. Antoninus igitur Hadriani voluntati obsecutus et Annium Verum et L. Ceionium Commodum adoptavit [2].

Ceionii Commodi nominari. Faustina enim, cuius in inscriptione illa mentio fit, est filia Antonini Pii, non Ceionii Commodi, cf. Dio 71. 22. 3. *Ἦν δὲ (Φαυστεῖνη) τοῦ Εὐσεβοῦς Ἀντωνίνου θυγάτηρ.*

[1]) V, M. IV. 6.

[2]) De M. Annii Veri et L. Ceionii Commodii adoptione ea quae traduntur, valde inter se discrepant. Qua de causa haud ineptum esse puto litteras de adoptione illa hoc loco paulo accuratius examinare:

Ael. Spart. V. Hadriani XXIV. 1. dicit:

Sed mortuo Helio Vero Caesare (i. e. L. Ceionio Commodo) Hadrianus ingruente tristissima valetudine adoptavit Arrium Antoninum, qui postea Pius dictus est, et ea quidem lege, ut ille sibi duos adoptaret, Annium Verum et Marcum Antoninum. Hi sunt, qui postea duo pariter Augusti primi rem publicam gubernaverunt.

Difficultatem praebent verba „Annium Verum et Marcum Antoninum", cum constet Marcum Antoninum eundem esse ac Marcum Aurelium; nam postquam M. Annius Verus ab Antonino Pio adoptatus est, Antonini quoque nomen recepit. Sed quis verbo Annii Veri intellegendus est? Ut supra vidimus, M. Aurelio adulescenti Annio Vero nomen fuit, sed idem nomen L. Ceionio Commodo, qui postea L. Aelius Verus nominatus est, fuisse, nullus rerum scriptor tradidit. Quae cum ita sint sententiam Ernesti Muelleri, qui in libro, cui inscribitur: Festschriften zur fünfzigjährigen Stiftungsfeier des königlichen evangelischen Gymnasiums zu Ratibor 1869 p. 3, contendit Annium Verum filium mortui Helii Veri ab Hadriano adoptati esse, non accipiam. Haec enim sunt verba viri illius doctissimi: Seine wahl fiel auf Antoninus Pius, einen mann von 52 jahren, den oheim des M. Aurel, der wiederum den Annius Verus, den sohn des verstorbenen Aelius Verus, und den Marcus Aurelius Antoninus adoptieren musste. At si cetera loca comparaveris, quibus adoptionis mentio fit, elucebit hoc loco L. Aelium Verum intellegendum esse. Qua de causa Bernhardy, „Prooemia duo de S. H. Augustae 1847 p. 20 legi vult pro verbo „Annii" vocem „Ceionii". Quam coniecturam improbans equidem proponam „Antoninum Verum et M. Antoninum"; nam in vita Helii Veri V. 12. L. Ceionius Commodus appellatur „Antoninus Verus", item in vita A. Pii IV. 5. Mea enim sententia a librario

Caput III.

Marcus Aurelius ab Antonino Pio adoptatus magistratus capessit.

Quo tanto honore in se collato Marcus ita non gavisus est, ut deterreretur, sive quod putabat se rem publicam Romanam regere non posse, sive quod, ne ea re omnino a philophiae

---

quodam, cum inveniret lectionem „Antoninum Verum" falsam eam esse rato, cum meminisset Marco adulescenti Annii Veri nomen fuisse, scriptum est „Annius Verus".

In Aelii Spartiani Vita Helii V. 12. legimus:

Eius est filius Antoninus Verus, qui adoptatus est a Marco, vel certe cum Marco et cum eodem aequale gessit imperium. Nam ipsi sunt, qui primi duo Augusti appellati sunt et quorum fastis consularibus sic nomina praescribuntur, ut dicantur non duo Antonini, sed duo Augusti.

Hoc igitur loco dubium est, utrum Antoninus a Marco adoptatus sit necne.

In Vita Helii VI. 6. traditur:

Cui conditionem addidit, ut ipse sibi Marcum et Verum Antoninus adoptaret, filiamque suam Vero non Marco daret.

Jul. Capitolinus V. Ant. Pii IV. 5. haec habet:

Adoptionis lex huiusmodi data est, ut quemadmodum Antoninus ab Hadriano adoptabatur, ita sibi ille adoptaret M. Antoninum, fratris uxoris suae filium et L. Verum, Helii Veri, qui ab Hadriano adoptatus fuerat, filium, qui postea Verus Antoninus est dictus.

V. M. V. 1. traditur:

Hadrianus . . . nec idoneus, utpote decem et octo annos agens, Marcus haberetur, amitae Marci virum Antoninum Pium Hadrianus ea lege in adoptionem elegit, ut sibi Marcum Pius adoptaret, ita tamen, ut et Marcus sibi Lucium Commodum adoptaret.

V. M. XVI. 6:

Nam et Hadrianus hunc eundem successorem paraverat, nisi ei aetas puerilis obstitisset. Quod quidem apparet ex eo, quod generum Pio hunc eundem delegit.

V. Veri II. 2.

Hac prosapia genitus patre ab Hadriano adoptato in familiam Aeliam devenit mortuoque patre Caesare in Hadriani familia remansit. A quo Aurelio datus est adoptandus, cum sibi ille Pium filium, Marcum nepotem esse voluisset, posteritati satis providens.

Ea historiae Augustae scriptores de M. Aurelii et L. Veri adoptione tradunt. Vides, quae prodiderunt, maxime diversa esse, neque, praesertim

studio abduceretur, timebat; qua de causa invitus iussu Hadriani in eius domum privatam venit [1]); tunc quoque Aurelii nomen accepit ex adoptione ab Antonino Pio Hadriano auctore facta, cum ex Annia gente in Aureliam transiisset [2]); eodem tempore ei etiam

cum apud eundem scriptorem de adoptione duplex memoria sit, quidquam certi ex iis effici posse. cf. J. Plew „De diversitate auctorum historiae Augustae scriptoribus, Diss. Regimonti 1869.

Atque oritur quaestio, quid de adoptione M. Aurelii iudicandum sit. Mea quidem sententia rem clare atque aperte narravit Cassius Dio l. 69. 21. 1, 2. ubi haec exstant verba: *Ἐπεὶ δὲ ἦν ἄπαις ἄρρενων παίδων, τόν τε Κομμόδου υἱὸν Κόμμοδον ἐσεποίησεν αὐτῷ καὶ ἔτι πρὸς τούτῳ Μάρκον Ἄννιον Οὖῆρον, βουληθεὶς ἐπὶ πλείστων καὶ τοὺς μετὰ ταῦτα αὐτοκρατόρας ἀποδεῖξαι . . . καὶ ἀμφοτέρους μὲν ἐσπουδάσθαι τῷ Ἀντωνίνῳ ἐκέλευε, προετίμησε δὲ τὸν Οὖῆρον διά τε τὴν συγγένειαν αὐτοῦ καὶ διὰ τὴν ἡλικίαν, καὶ ὅτι φύσιν ἀκριβῆ ἐρρωμενεστάτην ἤδη ἐπέφαινεν.* Quae Dio prodidit confirmantur inscriptionibus, in quibus cum Marcus et Verus filii Antonii Pii appellantur tum Verus frater M. Aurelii neposque Hadriani imperatoris. Cf. Corpus Inscriptionum Latinarum (C. I. L.) VI. 3725; II. 1643. v. App. II. 6, 7; Ephem. epigr. II. (1875) p. 460 sqq.; Orelli 5482, 5483, 5200, 6429; cf. Eckhel VII. p. 88. Cum ita res se habeat, non assentiar Heyslero p. 12 et Forstero p. 8. 9, qui viri contendunt ab Hadriano Antoninum Pium successorem designatum esse ea conditione, ut ipse sibi M. Aurelium in adoptionem eligeret, et hic Lucium Verum, Ceionii Commodi filium; mea quidem sententia dubium esse non potest, quin Antoninus Pius Hadriani voluntati obsecutus et M. Aurelium et Lucium Verum adoptaverit. Sed cum imperator iam brevi mores depravatos atque dissolutos L. Veri perspexisset ac cognovisset Verum summae imperii tenendae non idoneum esse, eum omnino neglexisse videtur; itaque Marcum omnibus rebus L. Vero praeferebat eumque solum sibi successorem esse voluit. Id quoque elucet Capitolini verbis narrantis V. Ant. Pii XII. 5 Antoninum Pium, cum mors appropinquaret M. Aurelio rem publicam filiamque praesentibus praefectis commendavisse et Fortunam Aurearn, quae in principum cubiculo poni solebat, ad eum transferri iussisse. Marcus autem pro pietate et religione sua L. Verum imperii participem fecit. De adoptione cf. quae exposuerunt Hermann Peter, Philologus ab a. 1884 p. 152 sqq.; Joh. Jac. Mueller, (Buedinger roemische kaisergeschichte) vol. III. p. 54 sqq.; Wieseler, Die christenverfolgungen der Caesaren bis zum dritten jahrhundert. Gütersloh 1878. p. 98. ann. 70.

[1]) V. M. V. 3: Ubi autem comperit se ab Hadriano adoptatum, magis est deterritus quam laetatus iussusque in Hadriani privatam domum migrare invitus de maternis hortis recessit.

[2]) V. M. V. 5; Eutrop. VIII. 10. Quod Aurelii nomen etiam L. Ceionius Commodus Verus eadem de causa accepit, qui ex eo tempore L. Aurelius Verus appellatur.

Antonini nomem, quod omnino octo imperatores gesserunt, datum est. Sed iuvenis, quamquam ad tantam dignitatem evectus erat, tamem pristinam simplicitatem ac morum integritatem servavit et id unum spectabat, ut rei publicae amicisque prodesset.

Anno 138, quo Marcus Aurelius adoptatus est [1]), ab imperatore Antonino Pio, cui in maximis amoribus erat, quaestor factus est aetatem iustam non adeptus. Paulo post mortem Hadriani, quem a. d. VI. Idus Iulias anni 138 Baiis diem supremum obiisse comperimus [2]), Antoninus Pius Romam reversus filiam suam Faustinam Marco despospondit [3]), sive quod Marcus Lucio Vero natu maior erat, sive, idque verisimilius

[1]) V. M. V. 6: Octavo decimo ergo aetatis anno adoptatus in secundo consulatu Antonini, iam patris sui, Hadriano ferente gratia aetatis facta quaestor est designatus. Tillemontius, Histoire des empereurs tom. II. troisième partie p. 947 sq., Pagius, Critica ad a. 140 (secundum Baronium, re vera 138), Gregorovius, geschichte des roemischen kaisers Hadrian, ostendunt adoptionem illam factam esse anno 138; atque Tillemontius Gregoroviusque contendunt Marcum Verumque adoptatos esse a. d. V. Kal. Martias, Pagius a. d. V. Kal. Maias. Mea quidem sententia dies adoptionis illius statui non potest, cum omnino certis auctoribus careamus. Sed hoc pro certo affirmaverim, verba Capitolini si sequi licet, adoptionem illam post d. V. Kal. Maias demum factam esse, hoc enim die Marcus annum decimum octavum ingressus est. Muellerus in libro illo, quem attuli p. 4. dicit: 17 jahre war Marc Aurel alt, als er adoptirt wurde, nicht 18, wie Capitolin berichtet. Sed quo iure Muellerus Capitolinum reprehenderit, quod rem falso tradidisset, non intellego; equidem verbis Capitolini V. M. V. 1. . . . . „nec idoneus utpote decem et octo annos agens, Marcus haberetur", et V. M. V. 5. „octavo decimo ergo aetatis anno adoptatus" non offendor.

[2]) V. Hadriani XXV. 6.

[3]) V. M. VI. 2. „Post excessum Hadriani statim Pius per uxorem suam Marcum sciscitatus est et eum dissolutis sponsalibus quae cum Lucii Ceionii Commodi . . . desponderi voluerat impari adhuc aetati, habita deliberatione velle se dixit." Quibus verbis repugnant ea, quae Capitolinus tradidit in V. M. XVI. 6, cum dicit: „Nam et Hadrianus hunc eundem successorem paraverat, nisi ei aetas puerilis obstitisset. Quod quidem apparet ex eo, quod generum Pio hunc eundem delegit." Quibus tamen verbis vim tribui non posse putem, omnibus enim ceteris locis, quibus eius rei mentio fit, narratur Hadrianum iussisse Antonini Pii filiam Lucio Vero nubere. cf. V. Helii VI. 9. . . . filiamque suam Vero, non Marco daret; in vita Veri II. 3 haec legimus . . . et ea quidem lege, ut filiam Pii Verus acciperet, quae data est Marco idcirco, quia hic adhuc impar videbatur aetate.

est, quod Marcus virtutibus atque pietate erga Antoninum se maxime gratum reddiderat.

Non multo post imperator Antoninus Marcum iuvenem ad ampliorem honorem perduxit, nam eum suum consulatus collegam in proximum annum designavit [1]) eundemque, postquam nomine Caesaris ornavit [2]), in domum regiam venire iussit [3]). Ab ineunte igitur anno 140 p. Chr. n. Marcus una cum Antonino Pio consulatum gessit [4]). Annis insequentibus cum administrationi rei publicae sa dedit. tum enixe litterarum studiis se tradidit [5]). Anno 144 iterum consul designatus [6]) cum Antonino Pio hoc munere anno insequente functus est [7]). Exeunte anno 145 Marcus Faustinam, Antonini Pii filiam [8]), quae ei

[1]) V. M. VI. 3; V. Ant. Pii VI. 9; cf. Eckhel VII. p. 44, v. App. I. 1.

[2]) V. M. VI. 3; Orelli 7277, v. App. II. 9.

[3]) V. M. l. c.

[4]) Eckhel VII. p. 44, v. App. I. 2; Orelli 775, v. App. II. 10; C. J. L. VI. 1009, v. App. II. 11.

[5]) V. M. VI. 6. „Per eadem tempora cum tantis honoribus occuparetur et cum formandus ad regendum statum rei publicae patris actibus interesset, studia cupidissime frequentavit."

[6]) V. M. VI. 4.

[7]) Orelli 857, v. App. II. 12; Eckhel VI. p. 46, v App. I. 3.

[8]) V. Ant. Pii X. 2; V. M. VI. 6; Eckhel VII. p. 46. v. App. I. 4; Orelli 865, v. App. II. 13. De tempore, quo M. Faustinam duxerit, viri docti maxime inter se dissident. Naberus (Proleg. ad M. Corneliii Frontonis et M. Aurelii imperatoris epistulas) p. XX, contendit Marcum Faustinam anno 140 in matrimonium duxisse dicens: M. Caesar, qui postea M. Antoninus Philosophus fuit, annum agebat undevicesimum. nam natus est anno 121 die sexto Kal. Mai, brevi ante duxerat Faustinam et tunc quaesturam agebat; tum p. XXIII.: Peperit Faustina (anno 140) et vidit Fronto infantem. Quae Naberi opinio omnibus, quae de hac re tradita sunt, repugnat. Waddingtonius, essai sur la vie d'Aristide (Paris 1867) p. 9 et fastes des provinces Asiatiques p. 210 nuptiarum sollemnia celebrata esse anno 146 vult. Mihi autem Mommseni opinio (cf. Hermes VIII. p. 205) anno 145 Faustinam Marco nupsisse, maxime probanda esse videtur. Ut omittam Capitolinum, qui in vita Marci VI. 6. dicit Marcum suscepta filia tribunicia potestate donatum esse — quod factum est exeunte anno 146 vel ineunte 147 (cf. Eckhel p. 47), — documentum sententiae meae probandae afferam nummum quendam, quem ad nuptias celebrandas cusum esse verisimile est. signatum esse Cos. II. cf. Eckhel VII, p. 46: „Aurelius Caesar. Aug. Pii F. Cos. II. vota publica. Aurelius et Faustina iungunt dexteras intermedia alia figura muliebri." Marcus autem anno demum 145 iterum consulatu functus est.

paulo post Hadriani mortem desponsata erat, uxorem duxisse videtur. Quae cum peperisset filiam nomine Domitiam Faustinam [1]), Marcus a Pio imperatore tribunicia potestate [2]) et imperio extra urbem proconsulari donatus est [3]). Praeterea Marco ius quintae relationis quod vocatur data est, quo ei licebat quinque relationes ad senatum referre, quae praeter ceteras legendae erant et de quibus statim discessio fieri debebat [4]).

De annis sequentibus usque ad annum 161, cum auctores omnino nos destituant, comperta de Marco non habemus; Capitolinus solus narrat Marcum per viginti tres annos in Antonini Pii domo ita versatum esse. ut eius cotidie erga Marcum amor cresceret [5]). Sed hoc tempore iuvenis summa industia ad philosophiae studia accubuit, ut elucet verbis ipsius [6]), et quanto ardore illo tempore studiis se dederit, nobis concludere licet litteris quibusdam Frontonis ad discipulum datis, quibus eum admonet, ne totas noctes studiis daret, sed somno et valetudini magis consuleret [7]). His quoque annis Marco assiduum commercium epistularum cum Frontone, magistro carissimo, fuit, sed quo tempore atque ordine singulae epistulae scriptae sint, mea quidem sententia omnino statui non potest. Quod quidem Mommsenus [8]) et Naberus [9]) conati sunt, sed de tempore atque ordine epistularum illarum inter hos viros doctissimos tanta discrepantia est, ut vix affirmare ausim. utrius opinioni maior fides habenda sit.

Anno 161 Antoninus Pius cum vehementi morbo corriperetur, Marcum, filium suum adoptivum, qui eo anno tertium con-

[1]) Mommsen, Hermes VIII. p. 205; Fronto p. 72, 91.

[2]) V. M VI. 6; Eckhel VII. p. 47, v. App. I. 5. De trib. potestate cf. Mommsen. Roemisches staatsrecht II². 1083. ann. 3.

[3]) V. M. VI. 6.

[4]) Mommsen, Roem. Staatsrecht II². p. 861 ann. 2.

[5]) V. M. VII. 2.

[6]) Fronto p. 75.

[7]) Fronto p. 77: Si quicquam nos amas. dormei per istas noctes, ut forti colore in senatum venias et vehementi latere legas.

[8]) Hermes vol. VIII. p. 198 sqq. sqq.

[9]) Prolegomena ad M. Cornelii Front. et M. Aurel. epistulas p. XX. sqq. sqq.

sulatu fungebatur [1]), ad se vocavit eumque cum filia sua amicis praefectisque successorem commendavit [2]). Qua de causa Fortunam Auream, quae in suo cubiculo stabat, ad Marci transferri iussit [3]) ea re significans se Marcum solum successorum destinavisse; nam Fortuna Aurea, ut Capitolinus narrat [4]) in principum cubiculo poni solebat. Obiit autem Antoninus ineunte anno 161 Lorii aetate 74 annorum [5]).

[1]) Clinton. F. R. ad annum 161; Eckhel VII. p. 48.

[2]) V. Ant. Pii XII. 5; V. M. VII. 3.

[3]) V. Ant. Pii XII. 5.

[4]) V. Ant. P. l. c.

[5]) De aetate atque imperio Antonini Pii admodum discrepantes sententiae sunt. Capitolinus V. Ant. P. XII. 4. tradidit: Obiit anno septuagesimo. Sed cum constet Antoninum Pium anno 86. p. Chr. n. natum esse, — dicit enim Cap. V. Pii I. 8. Antoninum Pium natum esse a. d. XIII. Kal. Oct. Fl. Domitiano XII. et Cornelio Dollabella consulibus, hi autem consules fuerunt anno 86 p. Chr. n.; praeterea dies natalis Antonini Pii traditus est apud Orelli 1104 — nobis accipiendum est, si Capitolinum sequimur, eum mortuum esse anno 156. Huic autem sententiae repugnant et ea, quae a ceteris rerum scriptoribus de ea re prodita sunt, et ea, quae Capitolinus V. M. VII. 2. memoriae prodidit, dicens Marcum per viginti et tres annos domi patris (i. e. Pii) versatum esse. Notum autem est, ut supra exposui, Marcum anno demum 138 adoptatum in Antonini Pii domum venisse. Qua de causa Antoninum Pium iam anno 156 mortuum esse, negandum est. Eutropius. VIII. 8. haec habet: Obiit apud Lorium, villam suam milliario ab urbe XII vitae anno LXXIII, imperii XXIII; Eusebius H. E. IV. 10: *Εἰκοστὸν καὶ δεύτερον ἔτος* (i. e. imperii) *διανύσαντα*. Aurelius Victor Caesares XVI. 3. 22: Anno vitae post 75 um mortuo; Victor. Epitome p. 373: Imperavit annos XXIII. cum esset annorum 72orum post tres atque viginti annos imperii consumptus est. Dio 70 4: *Ἦρξε δὲ εἴκοσι καὶ τέσσαρα ἔτη.*

Baronius ad a. 163 (161) . . . decesseritque, ut dictum est, hoc anno septimo die Martii, colligitur eum vixisse annos septuaginta quattuor, menses quinque et dies sexdecim. Pagius ad hoc annotat: Antoninus Pius die septima mensis Martii e vivis excessit, quod certo colligitur ex die emortuali M. Aurelii, successoris, qui fuit dies XVII mensis Martii anni CLXXX, ut infra videbimus. Quare post Hadriani mortem imperavit annos viginti duos, menses septem, dies viginti sex, a die vero, quo imperii collega nuncupatus est annos viginti tres, dies undecim. Hiphilinus quidem, Zonaras, e Cedrenus annos ei viginti quattuor attribuunt, quia nempe utrumque extremum annum incompletum pro integro numerant. Jam videamus, quid nummi praebeant. Eckhel VII. p. 27: Antoninus Aug. Pius P. P. TR. P. XXIV. Cos. III. S. C.; p. 48: Aurelius, Caesar. Aug. Pii F. TR. Pot. XV. Cos. III. His duobus nummis elucet, Antoninum Pium initio anni 161 adhuc inter vivos fuisse; Eckhel VII. l. c.: Imp. Caes. M. Aurel. Antoninus. Aug. Concordia Augustor. TR. P. XV. Cos. III. Aurelius et Verus togati stantes iungunt dexteras. Hic nummus comprobat M. Aurelium iam anno 161 imperatorem fuisse. Sed accuratius tempus mortis definire possumus. Nam in inscriptione, quam tradidit Gruterus (Inscript. Antiq. totius orbis Romani, Amstelodami 1707) p. 633 legimus: P. Cornelius Faustus Silvanum cum base D. D. dedicavit Idibus Aprilibus Imp. Caes. M. Aurelio Antonino III. Imp. Vero Aug. cos. II. Hoc titulo elucet, Ant. Pium ante Idus Apriles anni 161 mortuum fuisse.

Caput IV.

Marcus Aurelius, postquam imperium capessivit, bellum contra Parthos gerit.

Post Antonini Pii mortem Marcus imperator factus, simulatque rem publicam capessivit iustis honoribus patri divo Antonino tributis Hadriani voluntati obsecutus L. Verum imperii participem fecit [1]), quamquam ipsi soli imperium delatum erat, et in eum praeter Augusti honorem Veri quoque nomen [2]), quod ipsi antea fuit, transtulit eundemque tribunicia potestate donavit [3]); denique omnes honores cum eo participavit [4]). Atque primum duo viri rem publicam Romanam ex illo tempore pariter rexerunt [5]). Marcus ipse in honorem patris divi adoptivi nomen Antonini sibi indidit [6]). Antonini Pii corpore in Hadriani sepulcro splendidissimo apparatu posito iustitioque perfecto, postquam senatus habitus est [7]), uterque imperator ad castra se contulit, et, ut fieri solebat, singulis militibus propter imperium adeptum vicena millia nummorum data sunt [8]).

[1]) V. M. VII. 5; V. Veri III. 8; Eutrop. VIII. 9; Ammian. Marcel. XXVII. 6. 16; Dio 71. 1. 1.; Zonar. XII. 2.

[2]) V. M. VII. 5; V. V. IV. 1.

[3]) V. V. l. c.

[4]) V. M. VII. 6.

[5]) V. M. l. c.; V. V. III. 8; Eckhel VII. p. 48, v. App. I. 5; Eckhel VII. p. 89, v. App. I. 6; C. I. L. VI. 1241, v. App. II. 14.

[6]) V. M. VII. 6.

[7]) V. M. VII. 9.

[8]) V. M. l. c.; Eckhel VII. p. 49, 89, v. App. I. 7. 8.

Quibus factis Marcus filiam suam tunc natu maximam L. Aurelio Vero despospondit, qui eam paulo post in matrimonium duxisse videtur[1]), quam ab coniunctionem praeceperunt ut pu-

[1]) Tempus, quo L. Verus Marci filiam uxorem duxerit, non constat. Capitolinus V. M. IX. 4. haec narrat: Medio belli tempore et Civicam patruum Veri et filiam suam nupturam commissam sorori suae eandemque locupletatam Brundusium usque deduxit, ad eum misit Romamque statim rediit, revocatus eorum sermonibus, qui dicebant, Marcum finiti belli gloriam sibimet vindicare idcirco in Syriam proficisci. Quae Capitolini verba afferentes plurime putaverunt Lucillam anno 164 Lucio Vero nupisse; cf. Clinton, F. R. a. 164; Naber, proleg. p. XXIV; Mommsen, R. G. vol. V. p. 406; Foerster p. 15, Heysler p. 14. Sane si Capitolino utique fidem habemus, nobis statuendum est, nuptias illas celebratas esse circa annum 164. Mea quidem sententia res per se maxime mira est, quod Marcus filiam medio bello mittit, ut L. Vero nuberet. Praeterea verba Capitolini: „filiam commissam sorori suae" magnam dubitationem mihi intulerunt. Supra enim vidimus (p. 3) Anniam Cornificiam, Marci unicam sororem, si Capitolinum sequi licet, anno 161 iam mortuam fuisse, qua de causa verba „commissam sorori suae" hoc loco maxime offendunt. Equidem haec statuam: Lucius Verus paulo postquam imperii particeps factus est, Lucillam, Marci filiam, uxorem duxit, tum ad bellum Parthicum profectus est. Lucilla Romae remanet. Medio belli tempore Marcus de luxuria libidinibusque L. Veri certior factus ei filiam suam mittit sperans Lucium tunc voluptatibus magis abstenturum esse. Quod si statuimus optime quadrant ea, quae Capitolinus de hac re in vita Veri V. II. 7. tradidit, ubi haec leguntur: Efesum etiam redit, ut Lucillam uxorem, missam a patre Marco, susciperet, et idcirco maxime, ne Marcus cum ea in Syriam veniret ac flagitia eius adnosceret. Quae verba ita verto: Er kehrte nach Ephesus zurück, um seine gattin Lucilla, die von ihrem Vater Marcus geschickt war, zu empfangen. Praeterea verbis Dionis Zonaraeque evidenter effici posse contenderim Lucium Verum, priusquam ad bellum Parthicum proficisceretur, Lucillam iam uxorem sibi adiunxisse. Ille enim 71. 1. 3. memoriae prodidit: *Ὅθεν καὶ γαμβρὸν αὐτὸν ἐπὶ τῇ θυγατρὶ Λουκίλλᾳ ὁ Μάρκος ποιήσας, ἐς τὸν πρὸς Πάρθους ἔπεμψε πόλεμον*; hic (epitome historiarum ed. Dindorf, Lpz. 1870) XII. II. haec habet: *Ὅθεν θυγατρὶ Λουκίᾳ τοῦτον ὁ Μάρκος συνάψας αὐτῷ τὸν πρὸς Παρθους ἀνέθετο πόλεμον.* Argumento quoque esse videtur inscriptio quaedam, quam tradidit Orelli 3364: Imp. Caesari II Divi Antonini Pii II Filio. Divi Hadriani II Nepoti. Divi Triani Parthici Pronepoti II Divi Nervae Abnepoti II M. Aurelio Antonino Aug. P. M. Tr. Pot. XVI. (a. 162) Cos III. Optimo Et II Indulgentissimo Principi II Pueri et Puellae Alimentari Ficolensium. Supra dictum est Marcum ob coniunctionem Veri cum Lucilla ut pueri puellaeque frumentariae perceptioni adscriberentur, praecepisse. Neque dubium esse potest, quin haec inscriptio ad eam Marci legem referenda sit.

ellae et pueri frumentariae perceptioni adscriberentur[1]). Sed vix M. Aurelius impericum adeptus erat, cum maxima mala in rem publicam ingruerunt. Magna illo tempore Tiberis inundatio orta est[2]), quae tanta fuit, ut ingens aedificiorum animaliumque multitudo deleretur et gravissima fames oreretur[3]). Atque eo tempore bellum contra Parthos[4]) exarsit, quod iam Antonino Pio vivo institerat[5]), sed litteris imperatoris per aliquod tempus dilatum erat.

Neque minus periculum impendebat a Britannis[6]). Ibi legiones seditione facta Statium Priscum, virum fortissimum atque audacissimum, qui anno 159 consulatu functus paulo post Britanniae provinciae consulari praepositus erat[7]), imperatorem exclamaverunt. Recusante autem Prisco[8]) et militibus nuntiato contra se Calpurnium Agricolam esse missum seditio sedata esse videtur. Eodem modo brevi periculum a Chaucis Chattisque imminens amotum est. Chauci enim, Germanorum gens ad Albim fluvium accolens, e finibus suis eruperant, sed a Didio Juliano repulsi sunt[9]). Pari modo Chatti, qui in Raetiam ac Germaniam irruperant, ab Aufidio Victorino impediti sunt, quominus longius progrederentur[10]).

At periculosius ac diuturnius bellum contra Parthos fuit. Rex Parthorum tunc erat Vologaesus tertius[11]), qui circa annum

[1]) V. M. VII. 8.
[2]) V. M. VIII. 4.
[3]) V. M. l. c.
[4]) V. M. VIII. 6.
[5]) V. M. l. c.
[6]) V. M. VIII. 7.
[7]) De Statio Prisco cf. Napp, De rebus imperatore M. Aurelio Antonino in oriente gestis, Bonn 1879, p. 55 sq.; Noëlius de Vergers, Essai sur Marc Aurèle, Paris 1860, p. 28 sqq.; Borghesi, Oeuvres III. 249 sqq.; IV. 168; C. J. L. VI. 1523 = Orelli 5480, v. App. II. 15.
[8]) V. M. VIII. 8.
[9]) Ael. Spart. V. Didii Juliani I. 6—8.
[10]) V. M. VIII. 8.
[11]) De Volagaero tertio cf. quae exposuit Spiegelius. Eranische Altertumskunde, Lips. 1878, vol. III. p. 169 ann. 2; p. 108; cf. quoque Napp p. 10 sqq.; Ranke, weltgeschichte vol. III. p. 338, ann. 1; Mommsen, R. G. vol. V. p. 406; Marquardt, Roem. staatsverwalt. I. p. 213 ann. 10.

150 regnum adeptus inimicissimo animo contra Romanos erat. Iam Antonino Pio, ut supra dixi, reguante bellum paraturus fuit. Qua de causa imperator exercitum duce Neratio Proculo in Syriam misit [1]), quo tunc quidem bellum vitatum esse videtur, praesertim cum Antoninus Vologaesum litteris missis ab expugnatione Armeniae avocaret.

Sed vixdum imperium ad M. Aurelium transierat, cum Vologaesus ille, amore gloriae ductus, Sohaemum, principem Armeniae a Romanis impositum, subito aggressus regno privavit [2]). Tum Romanorum praesidio Elegiae, in confinio Cappadociae et Armeniae sito [3]), oppresso, postquam Severianum, ducem Romanorum, fudit fugavitque [4]), ingenti cum exercitu ad urbes Syriae [5]) processit.

Quae causa belli fuit [6]).

Armenia potitus Vologaesus, cum per Cappadociam in Syriam cum copiis suis, ut dixi, invasisset, Attidium Cornelianum,

[1]) Wilmanns, Exempl. inscr. lat. I. 1155 = Orelli 3393 = Gruter 441, 4 = C. R. N. 4943, v. App. II. 16; Borghesi, Oeuvr. V. p. 373. Nappius p. 12 sqq. ostendit sententiam Gruteri (441, 4) et Orellii (ann. ad tit. 3393) de M. Aurelio eiusque bello Parthico cogitantium falsam. Henzeni autem (vol. III. p. 335) et Borghesii (oeuvr. V p. 373), qui Antoninum Pium intellegi volunt, probandam esse.

[2]) Fronto p. 127: Sohaemus expulsus a L. Vero re bene gesta in regnum restituus est.

[3]) cf. Stephanus Byzant. ed. Meîn p. 264.

[4]) Fronto, Princip. hist. p. 209: Severianus quidem Lucio ab urbe necdum etiam tum profecto . . . caesus est; Dio 71. II. 1: *Ὁ γάρ Οὐολόγαισος πολέμου ἤρξε, καὶ στρατόπεδόν τε ὅλον Ῥωμαϊκὸν τὸ ὑπὸ Σευηριανῷ τεταγμένον ἐν τῇ Ἐλιγείᾳ, χωρίῳ τινὶ τῆς Ἀρμενίας, περισχὼν πάντοθεν αὐτοῖς ἥγεμόσι κατεστόξευσε καὶ διέφθειρε.* Quibus Dionis verbis nisus Borghesius Oeuvr. IV. p. 234, V. p. 375 contendit proelio illo totam legionem XXII Deiotarianam periisse. Quam sententiam impugnat Marquardtius, R. staatsverw. I. p. 213. ann 11, quem sequitur Nappius, p. 15, dicens partem tantum exercitus caesam esse. Concedo a Dione rem in maius elatam esse, sed constat Romanis gravissimam cladem illatam esse id quod elucet verbis Frontonis, Princ. hist. p. 209 sq. et ad Ver. imp. epist. II. p. 132.

[5]) Dio 71. II. 1: *Καὶ τῆς Συρίας ταῖς πόλεσιν πυλὲς ἐπῆει.*

[6]) Cap. quidem causam aliam belli affert (V. M. VIII. 6) dicens: Fuit eo tempore etiam Parthicum bellum, quod Volagaesus . . . indixit fugato

qui tunc provinciae illi praepositus erat, devicit [1]). Haec Vologaesi invasio facta est exeunte anno 161 [2]).

Cuius cladis fama Romam perlata ibi magnus timor exstitit, praesertim cum nuntiaretur Syros de defectione cogitare [3]). Quo nuntio commotus Marcus L. Vero mandavit, ut bellum contra Parthos gereret. Is igitur ineunte anno insequenti profectus est [4]). Marcus, cum eum profectum Capuam prosecutus esset [5]), Romam rediit, quod res urbanae, ut Capitolinus narrat [6]), imperatoris praesentiam postularunt. Sed cum paulo post Marco nuntius allatus esset L. Verum apud Canusium aegrotavisse votis in senatu susceptis ad eum visendum contendit [7]). Sed haud multo post Verus cum convaluisset, iter continuavit; Marcus Romam se contulit. Verus autem ita iter suum non acceleravit, quamquam haud ignorabat Volagaesi in dies potentiam augeri, ut in Apulia venationibus delectaretur, Corinthi Athenisque voluptatibus libidinosissimis se dederet [8]). Tandem mari Hydrunto traiecto [9]), postquam in urbibus maritimis Asiae Minoris, Pamphyliae, Ciliciae voluptatibus indulsit [10]), exeunte anno 162 in Syriam advenit [11]).

Iam videamus, quae res bello Armenico et Parthico gestae sint.

Lucium Verum, mari traiecto cum Antiochiam venisset, residem ac segnem hiemem Laodiceae, aestatem Daphnae, reliquam anni partem Antiochiae proeliis gladiatoriis navantem

Atidio Corneliano, qui Syriam tunc administrabat. Suo iure Nappius p. 15 contendit rem a Capitolino falso esse traditam.

[1]) V. M. I. c. De Atidio Corneliano cf. C. J. L. III. 129, v. App. II. 17.

[2]) De tempore, quo clades illa facta sit, accuratius disseruit Napp p. 17.

[3]) V. M. VI. 9.

[4]) Eckhel VII. p. 90, v. App. I. 9; Ranke, W. G. III. p. 338 ann. 2.

[5]) V. M. VIII. 10; V. V. VI. 7.

[6]) V. M. VIII. 9.

[7]) V. M. VIII. 11.

[8]) V. V. VI. 9.

[9]) L. Verum Hydrunto contra Parthos profectum esse, Mommsenus conclusit basi Hydruntina, quae in honorem proficiscentis Veri posita esse videretur. cf. C. R. N. 443 = Wilm. 948, v. App. II. 18.

[10]) V. V. VI. 9.

[11]) C. J. L. III. 129 = Henzen 5484 = Borghesi IV. p. 164, v. App. II. 17. Hoc titulo apparet L. Verum anno 162 in Syriam advenisse.

degisse, ita ut omnibus Syris risui esset, cum duces ceteri contra Parthos pugnarent, Capitolinus auctor est [1]). Sed eo maiorem virtutem fortitudinemque praestiterunt duces, e quibus primo loco nominandus mihi est Statius Priscus [2]), quem virum Britanni post Antonini Pii mortem imperatorem renuntiasse supra commemoravi. Paulo post provinciae Cappadociae praefectus, ut Severiano devicto caesoque subiret [3]), postquam milites luxuriae ac libidinibus deditos ad disciplinam redegit, rem in Armenia bene gessit et caput eius Artaxata vi cepit [4]). Qua urbe expugnata cum hostium vis fracta esset, Armenia denuo Romanorum dicionis facta est, quod elucet ex nummis quibusdam anno 163 excusis, in quibus Armeniae imago humi sedentis, armis patriis circumdatae, sinistram navi imponentis conspicitur [5]). Quos ob progressus secundos utrique imperatori nomen Ar-

[1]) V. M. VIII. 12; V. V. VII. 1 sq.; Dio Cas. 71. II. 2 melius de Vero existimans dicit: *Ὁ οὖν Λούκιος ἐλθὼν ἐς Ἀντιόχειαν καὶ πλείστους στρατιώτας συλλέξας καὶ τοὺς ἀρίστους τῶν ἡγεμόνων ὑφ' ἑαυτὸν ἔχων, αὐτὸς μὲν ἐν τῇ πόλει ἐκάθητο διατάττων ἕκαστα καὶ τὰς τοῦ πολέμου χορηγίας ἀθροίζων, Κασσίῳ δὲ τὰ στρατεύματα ἐπέτρεψε.* His quoque verbis elucet Verum belli expertum fuisse. Prorsus nimis extulit laudes bellicas Fronto, quem praeconem Veri totiusque principis familiae fuisse notum est. Dicit enim bellum Parthicum Traiani cum Veri comparans (Princip. hist. p. 204): Bella igitur duo maxima a duobus maximis imperatoribus adversum Parthos nostra memoria pari eventu bellata contendere inter sese pro copiis cuiusque ducis et temporibus pergam, haud ignarus, fortia facinora viventium gravatius, mortuorum gratius accipi; tum p. 202: Tantas res a te gestas, quantas et Achilles gessisse cuperet et Homerus scripsisse.

Ranke, W. G. vol. III. p. 338 putat culpam priorum cladium Romanorum non tantopere Vero, quam legionibus Syriae effeminatis tribuendam esse. Assentior Rankeno, quod dicit, legiones Syriacas maxime effeminatas fuisse, sed eo falli virum illum doctissimum existimo, quod magnam vim litteris quibusdam Veri ad Frontonem datis tribuit, in quibus Verus gloriatur se milites assuefecisse, ut labores molestiasque ferrent (Front. p. 206), cum haud dubium sit, quin praecipue Avidius Cassius, Veri legatus, milites a perdita luxuria ad oboedientiam disciplinamque redegerit.

[2]) De Statio Prisco cf. C. J. L. VI. 1523; v. App. II. 19.

[3]) cf. Noël de Vergers, p. 28 sqq.

[4]) V. M. IX. 1: Gestae sunt res in Armenia prospere per Statium Priscum Artaxatis captis.

[5]) Eckhel VII. p. 50, 90, v. App. I. 10. 11.

meniaci inditum est [1]), quod Verus statim suscepit, Marcus initio repudiavit, postea tamen fratris precibus commotus, recepit. Praeterea et Marcum et Verum eodem anno iterum imperatorem appellatos esse e nummis concluditur [2]). Re igitur bene gesta Armeniaque pacata Sohaemus rex antea expulsus in regnum suum restitutus est [3]), qua re bellum in Armenia finitum esse videtur.

[1]) V. M. IX. 1: Delatumque Armeniacum nomen utrique principum, quod Marcus per verecundiam primo recusavit, postea tamen recepit. Quibus Capitolini verbis consentit Fronto ad Verum epist. II. 1. (p. 121): Ad nomen Armeniaci, quod recusaverat, sumendum, quis alius, quam tu, aut quibus aliis tu, quam eloquentiae copiis adortus es?

[2]) Eckhel VII. p. 49, 90, v. App. I. 11. 12.

[3]) V. M. VII. 8; Fronto p. 127: Vel quod Sohaemo potius, quam Vologaeso regnum Armeniae dedisset, aut quod Pacorum regno privasset; Photius bibl. lib. 94 ed. Bekker (p. 94) de rege restituendo tradidit . . . *Λέγει δὲ καὶ ἑαυτὸν Βαβυλώνιον εἶναι ὁ συγγραφεὺς . . . καὶ ἀκμάζειν ἐπὶ Σοαίμου τοῦ Ἀχαιμενίδου τοῦ Ἀρσακίδου, ὃς βασιλεὺς ἦν ἐκ πατέρων βασιλέων, γέγηνε δὲ ὅμως καὶ τῆς συγκλήτου βουλῆς τῆς ἐν Ῥώμῃ καὶ ὕπατος δὲ, εἶτα καὶ βασιλεὺς πάλιν τῆς μεγάλης Ἀρμενίας, ἐπὶ τούτου γοῦν ἀκμάσαι φησὶν ἑαυτόν. Ῥωμαίων δὲ διαλαμβάνει βασιλεύειν Ἀντωνῖνον καὶ ὅτε Ἀντωνῖνος, φησὶν, Οὐῆρον, τὸν αὐτοκράτορα καὶ ἀδελφὸν καὶ κηδεστὴν ἔπεμψε Βολογαίσῳ τῷ Παρθυαίῳ πολεμήσοντα, ὡς αὐτός τε προείπου καὶ τὸν πόλεμον, ὅτι γενήσεται, καὶ ὅτοι τελευτήσοι καὶ ὅτι Βολόγαισος μὲν ὑπὲρ τὸν Εὐφράτην καὶ Τίγριν ἔφυγεν, ἡ δὲ Παρθυαίων γῆ Ῥωμαίοις ὑπήκοος κατέστη.* Eodem spectant Suidae verba s. v. *Μάρτιος* (Suidae lex. ed. Im. Bekker. Berolini 1854) p. 690: *Ὅτι Μάρτιος Βῆρος τὸν Θοαχυδίδην ἐκπέμπει καταπαῦσαι Σόαιμον εἰς Ἀρμενίαν.* His verbis nisus suo iure Eckhelius VII. p. 91, quem sequitur Nappius p. 24, Sohaemum iam antea in Armenia regem fuisse et a Parthis expulsum tunc a Vero restitutum esse, conclusit. At alia est sententia Mommseni, R. G. vol. V. p. 407. ann. 2. dicentis: Dass Sohaemus Achaemenide und Arsakide war und königssohn und könig sowie roemischer senator und consul, bevor er koenig von Grossarmenien ward, sagt sein zeitgenosse Jamblichos. Porro: Dass Sohaemos vor Pacoros über Armenien geherrscht hat, wird nirgends gesagt. Sed Momsenum in errore versari puto. Mihi verisimile esse videtur ordinem rationemque rerum ita fuisse: Parthi, postquam Armeniorum regem Sohaemum, Romanis amicum, quem iam Antonino Pio regnante expellere conati erant, ineunte imperio M. Aurelii regno privaverunt, regem sibi obsequentem Armeniae Pacorum constituunt. Sohaemus expulsus ad Romanos confugit. Postea autem re bene gesta Verus, simulatque Pacorum regno privavit, denuo Sohaemum Armeniae praefecit. Id elucet quoque, ni fallor, Photii verbis l. c *εἶτα καὶ βασιλεὺς πάλιν τῆς μεγάλης Ἀρμενίας.* Quo iure Mommsenus dixerit, nummorum in-

De rebus tempore insequenti gestis omnino ab auctoribus in dubio relinquimur. Armenia subacta postquam Romani Kainopolim urbem aedificatam firmo praesidio muniverunt [1]), per aliquod tempus bellum intermissum esse videtur. Circa annum 164 L. Verus Ephesum se contulit, ubi uxorem suam Lucillam exciperet [2]). Sed iam paulo post bellum vehementius ac gravius exarsit. Ducum Romanorum praeter Statium Priscum maxime commemorandi sunt Avidius Cassius [3]), M. Claudius Fronto [4]), Martius Verus [5]), Helvius Pertinax [6]), M. Pontius Laelianus [7]). Quorum virorum virtute ac prudentia belli finem factum esse Capitolinus narrat [8]). Inter omnes autem maxime excellens fuit Avidius Cassius, qui vetere disciplina restituta hostibus multa ac gravia incommoda intulit. Hostes tamen Romanis vehementissime restitisse, ut Verus, quem belli diuturnitatis taederet, pacem cum Parthis inire vellet, ex Frontone compertum habemus [9]).

---

scriptione „Rex Armeniis datus" effici, Sohaemum antea regem Armeniorum non fuisse, equidem non video.

[1]) Suidas s. v. *Μάρτιος*

[2]) V. V. VII. 7; Clinton, F. R. p. 152.

[3]) De Avidio Cassio cf. Vulcat. Gallican. V. Avidii Cassii V. 5, 6; Napp p. 57 sqq.

[4]) C. J. L. VI 1377 = Henzen 5478 = Wilm. 636, v. App. II. 20.

[5]) V. M. VII. 1; Suidas s. v. *Μάρτιος*; Fronto p. 131.

[6]) Capitol. V. Pertinacis II. 1: Bello Parthico industria sua promeritus in Britanniam translatus est ac retentus.

[7]) Fronto p. 128; Orelli 3186 = C. J. L. 1497, v. App. II. 21.

[8]) V. V. VII. 1: Duces autem confecerunt Parthicum bellum.

[9]) Princip. hist. (p. 208): Litteres ultro dederat, bellum si vellet, conditionibus poneret: dum oblatam pacem spernit barbarus, male mulcatus est; vel Fronto ad Verum II. 1 (p. 120): „Regi Parthorum prompte et graviter respondisti." Pacem a Parthorem rege repudiatam esse tradidit etiam Nazarius panegyricus c. XXIV. §. 6 (rec. Baehrens, Lips. 1874 p. 231): Antoninus imperator, in loga praestans et non iners nec futilis bello, cum adversum Parthos armis experiretur, visis cataphractis, adeo totus in metum venit, ut ultro ad regem conciliatrices pacis litteras daret. Quas cum rex, immodicus animi, respuisset, insolentia quidem barbari debellata est, sed patefactum est, in his armis tantam inesse violentiam, ut iam et vincendus fideret et superaturus timeret". Quibus verbis repugnant, quae Lucianus memoriae tradidit in libro illo, qui inscribitur: Quomodo historia est conscribenda. Sed verbis eius

Sed cum hostes viribus suis confisi pacem oblatam respuissent, utrimque animis infestissimis bellum continuatum est. Brevi tempore Nicephorus et Dausara a Romanis expugnata sunt [1]) et si Luciano credere licet, etiam Nisibis obsessa atque capta et acerrimum proelium ad Europum commissum est [2]). Quibus rebus bene gestis Romani elati longius processerunt; Seleucia ipsa, urbs opulentissima, capta et incensa est [3]), item Ctesiphon, caput terrae et arx regia, excisa et eversa est [4]).

Tot tantisque cladibus acceptis hostium opes tantopere imminutae atque infractae esse videntur, ut non diutius resisterent. Cassius autem, cum non satis haberet hostes victos esse, sed eos ad internecionem redigi cupiens praeclaris illis victoriis elatus hostibus non resistentibus in Mediam penetravit [5]), qua re uterque imperator Medici cognomen accepit [6]), quod tamen inde demum ab anno 166 in nummis conspicitur.

De tempore, quo pax cum hostibus inita sit, nihil certi compertum habemus. Iam anno 165 pacem initam esse dicunt Tillemontius [7]), Peterus [8]), Spiegelius [9]), Marquardtius [10]); an-

---

minimam fidem esse habendam, elucet ex ipsius verbis §. 31: *Ἤδη δ'ἐγώ τινος καὶ τὰ μέλλοντα συγγεγραφότος ἥκουσα, καὶ τὴν λίμνην τὴν Θεολογίσουν καὶ τὴν Ὀρρόου σαγήν.* cf. Mommsen, R. G. V. p. 401.

[1]) Fronto ad V. ep. II. 1. (p. 121).

[2]) Lucian. quom. h. s. conscr. §. 2, 15, 20, 28.

[3]) Dio 71. II. 3; V. V. VIII. 3; Zonaras XII. 2; Ammianus Marcellinus 23. VI. 24; 24. V, 3; Eutrop. VIII. 10. 2; Eusebius p. 171; Sextus Rufus breviarium c. 21; Paulus Orosius VII. 15. De Seleucia Babylonia scripsit Ernestus Fabian, dis. Lpz. 1869.

[4]) Dio 71. II. 3.

[5]) Spiegel, Eran. altert. vol. III. p. 182 verbis Capitolini „Duces autem confecerunt Parthicum bellum Statius Priscus et Avidius Cassius et Marcius Verus per quadriennium, ita ut Babylonem et Mediam pervenirent et Armeniam vindicarent," iter in Mediam a Statio Prisco factum esse conclusit. Quo iure equidem non intellego, cum testimonia non attulerit.

[6]) Eckhel VII. p. 52, 92, v. App. I. 13, 14.

[7]) Histoire des empereurs tom. II.[3] p. 972.

[8]) R. G. III.[3] p. 566.

[9]) Eran. alt. p. 182.

[10]) Roem. staatsverw. p. 212, 263.

num insequentem probavit Noëlius de Vergers [1]); Mommsenus [2]) et Rankenus [3]) annum in dubio relinquunt. Hoc tamen nummis, in quibus L. Verus et Parthicus Maximus appellatur et imago prostratae terrae Parthicae conspicitur, efficitur anno 165 bellum finitum habitum esse [4]). Praeterea uterque imperator hoc anno tertium imperator renuntiatus est [5]).

Anno 166 Lucius Verus ex oriente Romam reversus [6]) cum Marco Aurelio splendidissimum triumphum egit [7]) atque inde ex die, quo triumphus ille celebratus est, uterque imperator nominibus Armeniaci, Parthici Maximi, Medici, nec non patris patriae ornatus est [8]).

Atque iam videamus, quid bello Armeniaco-Parthico sit effectum. Cum auctores, qui de bello illo scripserunt, nihil

[1]) Essai p. 58.

[2]) R. G. V. p. 339.

[3]) Weltges. III. p. 339.

[4]) Eckhel VII. p. 92, v. App. I. 15.

[5]) Eckhel VII. p. 51, 92, v. App. I. 16, 17.

[6]) Jacobius p. 14 quidem contendit L. Verum anno demum 167 Romam rediisse: Nappius p. 33. sq. autem gravibus argumentis docuit reditum Veri in anno 166 ponendum esse.

[7]) V. M. XII. 8: „Petitque Lucius, ut secum Marcus triumpharet"; V. V. VII. 9: „Romam inde ad triumphum invitus . . . redit et pariter cum fratre triumphavit, susceptis a senatu nominibus, quae in exercitu acceperat"; V. V. VIII. 5: „Die triumphi, quem pariter celebrarunt"; Eutrop. VIII. 10: „Cum fratre eodemque socero triumphavit"; Eusebius II. p. 171: „Lucius Caesar de Parthis cum fratre triumfavit." Cf. Dipl. LXI in Ephem. epigr. II. (1875) p. 460, v. App. II. 8. Cf. quae ad hoc diploma annotavit Mommsenus, Roem. staatsrecht II². p. 753 ann. 4; ibidem p. 769 ann. 3; p. 761, 810 sqq. cf. Eckhel VII. p. 52, v. App. I. 18; Eckhel VII. p. 92, v. App. I. 19; Orelli 874. C. J. L. VI. 360, v. App. II. 22. Tempus triumphi accuratius statuit Napp. p. 34, cuius viri opinio mihi maxime probanda esse videtur. Dettmerus (Forschungen zur deutschen geschichte vol. XII. p. 184) diem triumphi XII. Oct. fuisse putat. Pag. crit. ad Bar. ad ann. 168 dicit, reditum L. Veri distinguendum esse ab anno, quo triumphaverit.

[8]) De cognominibus ab imperatoribus bello Parthico acceptis cf. quae exposuit Napp. p. 86 sqq. Hoc loco refellam Schilleri opinionem (p. 642), qui attulit Marcum Parthicum solum, non Parthicum Maximum appellatum esse. Huic enim sententiae repugnant et nummi (cf. App. I. 18) et inscriptiones (cf. App. II. 22.).

certi memoriae de pacis conditionibus tradiderint [1]), nobis opinionibus tantum nisis quidquam certi promere difficillimum est.

Sed opiniari licet Romanos hostibus aequas pacis conditiones tulisse, praesertim cum novum bellum, Marcomannicum, impenderet. Triumpho habito ludi amplificentissimi celebrati sunt [2]) simulque populo congiarium datum est [3]).

Caput V.

De initiis causisque belli Marcomannici.

Bello Parthico feliciter finito paulo postquam exercitus victor ex oriente urbem revertit, Romani novo ac multo periculosiore bello Marcomannico, quod dicitur, implicati sunt atque eo tem-

[1]) Capitolinus. V. V. VII. 8. haec memoriae prodidit: „Confecto sane bello regna regibus, provincias vero comitibus suis regendas dedit." Quid Capitolinus verbis „regna regibus dedit" dicere velit, non apertum est. Sohaemum a L. Vero in regnum suum restitutum esse supra dictum est. Quod Nappius l. c. p. 36 in numerum regum, de quibus apud Capitolinum mentio est, Osrhoenum vel Edessae principem refert, improbaverim. Provincias, quas secundum Capitolinum Verus comitibus suis dedit, praecipue Syriam, Cappadociam, Mesopotamiamque intellegendas esse puto. Syriae provinciae praeficiebatur Avidius Cassius, cf. Waddington, Comp. rend. de l'acad. des inscr. et belles lettres, tom. IX. Paris 1865, p. 12. Is ostendit Avidium Cassium anno 169-170, 171 Syriae praefuisse. Cappadociam provinciam obtinuisse videtur M. Verus (cf. Napp. p. 67), qui M. Statio successit. De Mesopotamia provincia in Sexti Rufi breviario c. 14 haec exstant verbo: „Sed post sub Antoninis duobus, Marco et Vero, ac Severo Pertinaci ceterisque principibus Romanis, qui adversum Parthos eventu vario dimicaverunt, quater amissa, quater recepta Mesopotamia est." Ex his verbis Peterus R. G. III³. p. 566, Noelius de Vergers p. 57, Marquardtius R. Staatsverw. I. p. 279 concluserunt Mesopotamiam denuo in provinciarum formam redactam esse. Sed alia est sententia Schilleri p. 644 et Mommseni p. 408, qui putant partem tantum Mesopotamiae sub Romanorum potestatem redactam esse. Cum autem titulis prorsus careamus, ex quibus de Romanorum provinciarum administratione certiores fiamus, equidem utrius sententiam sequar, nescio. Id solum nummis elucet Carrhas, in Osrhoenes oppidum, a M. Aurelio coloniam deductam esse. Cf. Eckhel III. p, 506, v. App. I. 20.

[2]) V. M. XII. 11.

[3]) Eckhel VII. p, 51, v. App. I. 21.

pore, quo populum pestilentia atrocissima [1]) famesque gravissima [2]) premebant. De primordiis belli illius quidquam certi compertum non habemus, nisi quod Capitolinus narrat iam belli Parthici tempore bellum Marcomannicum exarsurum fuisse. Sed quominus tunc statim exoriretur, a Romanorum legatis praefectisque provinciarum hostibus finitimarum impeditum est [3]). Quod quomodo iis contigerit, utrum pecunia promissisque, an virtute, non satis bene constat. Itaque cum haec sola memoria de belli Marcomannici exordio sit, fieri non potest, ut tempus barbarorum invasionum accuratius definiatur. Capitolino igitur auctore usi plerique recentioris aetatis scriptores opinionem habent initium belli Marcomannici sub anno 164 ponendum esse [4]).

[1]) V. M. XIII. 3; Ammian. Marcel. XXIII, 6; Orosius VII. 17; Eutrop VIII. 12; Eusebius Chron. p. 170; cf. Pagi, crit. ad an. 170; Hecker, De peste Antoniniana; Friedlaender, Sittengeschichte Roms I³. p. 36. Pestilentia, qua iam in oriente magna militum multitudo consumpta est, tanta fuit, ut veliculis serracisque cadavera ex urbe emoverentur et ne malum longius diffunderetur, ab imperatoribus novae sepeliendi leges datae sunt; cf. V. M. XIII. 6. Sed quamquam omnia cavendi genera in pestilentiam accuratissime adhibebantur, tamen per totum Marci imperium duravit.

[2]) V. M. XII. 4.

[3]) V. M. XII. 13.

[4]) Swoboda, vermutungen zur chronologie des sogenannten Marcomannenkrieges unter Marc Aurel und Commodus, sechszehnter jahresbericht der landesoberrealschule in Znaim, 1887, probare studuit bellum Marcomannicum eodem anno ac bellum Parthicum ortum esse, mihi tamen argumentis allatis nequaquam persuadere potuit. Sane si initium belli Marcomannici ab invasionibus Chattorum in Raetiam Germaniamque, Chaucorum in Belgiam sumimus, ut Luden, geschichte des deutschen volkes, vol. II. p. 23 et Kufahl, geschichte der deutschen, vol. I. p. 317. 352, voluerunt, Swobodam recte iudicare negari non potest; sed cur ita velimus, nihil habemus. Argumentum primum sententiae suae Swoboda affert verba Vulcatii Gallicani, qui in vita Avidii Cassii cap. 4. haec tradidit: „Cum exercitum duceret, et inscio ipso manus auxiliaria centurionibus suis auctoribus tria millia Sarmatarum neglegentius agentum in Danuvii ripis occidissent et cum praeda ingenti ad eum redissent sperantibus centurionibus praemium, quod perparva manu tantum hostium segnius agentibus tribunis et ignorantibus occidissent, rapi eos iussit et in crucem tolli servilique supplicio adfici, quod exemplum non extabat, dicens evenire potuisse, ut essent insidiae, ac periret Romani imperii reverentia. Et cum ingens seditio in exercitum orta esset, processit nudus campestri solo tectus et ait: „Percutite“, inquit, „me, si audetis et corruptae disciplinae facinus addite.“ Tunc conquiescentibus cunctis meruit timeri, quia non timuit. Quae res tantum disciplinae Romanis addidit, tantum terroris barbaris iniecit, ut pacem annorum centum ab Antonino absente peterent.“ Sed ab hoc de improviso in Sarmatas inopinantes impetu facto initium belli Marcomannici sumi non posse quivis mihi concedet. Praeterea barbaros pacem illam centum annorum, cuius mentio fit, anno 161, ut Swoboda vult, impetrasse, omnino non constat. Tillemontius vol. II. p. 357, pacem post annum demum 166 cum M. Aurelio imperatore conciliatam esse putat; Wietersheimius autem, geschichte der voelkerwanderung p. 20, quem sequitur Dettmerus p. 180, eam iam cum Antonino Pio factam esse voluit. Sed cum rerum scriptores quidquam certi de tempore, quo impetus ille repentinus factus ac pax inita sint, memoriae non prodiderint, omnino fieri non potest, quin annus accuratius definiatur. Praeterea autem ea, quae a Vulcatio Gallicano narrantur, tam mira atque incredibilia sunt, ut suo iure Nappius p. 62 contenderit prorsus ea conficta esse.

Altero argumento sententia suae probandae Swoboda utitur verbis Dionis 71. III. 2: *Λέτός δὲ τοὺς περὶ τὸν Ἴστρον βαρβάρους, Ἰάζυξί τε καὶ Μαρκομάνοις, ἄλλοτε ἄλλοις χρόνον συχνὸν ὡς εἰπεῖν δι' ὅλου τοῦ βίου, τὴν Παννονίαν ἔχων ὁρμητήριον ἐπολέμησε.* Sed quantum equidem iudicare possum, scriptor his verbis diuturnitatem tantum belli significare voluit; bellum autem iam anno 161 ortum esse ex iis concludere non possumus. Praeterea Swobodae opinioni repugnant verba Capitolini V. M. XII. 13: „Dum Parthicum bellum geritur, natum est Marcomannicum, quod diu eorum, qui aderant, arte suspensum est, ut finito iam orientali bello Marcomannicum agi posset.“ Ex quibus apparet bellum Marcomannicum non eodem anno, quo Parthicum, exarsisse. Swoboda quidem verba: „quod diu eorum, qui aderant, arte suspensum est“, ad sententiam suam probandam attulit, sed quo iure, equidem nescio.

Neque probabilis est sententia Forsteri (p. 15) Marcomannos et Quados anno demum 169 in fines Romanos invasisse. Nam repugnant et ea, quae rerum scriptores tradiderunt, et ea, quae nummi praebent.

Multo tamen mea quidem sententia verisimilius est circa annum 164, ut supra dixi, barbaros in Romanos impetum fecisse; nam id maxime tempus, quo Romani bello Parthico implicati erant et complures legiones ex provinciis, quae hostium incursionibus patebant, in orientem missae erant, ut Hirschfeldius ostendit, (cf. arch. epigr. mitteil. V. 41; cf. etiam Dettmer p. 181) hostium expeditionibus maxime opportunum erat.

Atque oritur quaestio, quae causae huius belli tam diuturni ac periculosi fuerint.

De belli Marcomannici causis cum a rerum scriptoribus nihil fere traditum sit, inter viros doctissimos summa dissensio est [1]). Mihi Dettmeri opinio initio barbaros imprimis praedandi

[1]) Mommsenus, R. G. vol. V. p. 209, causam belli emigrationem complurium gentium fuisse tradit dicens: Völkerverschiebungen, die jenseits des

cupidine commotos esse [1]) maxime probanda esse videtur. Hanc primam praecipuamque causam fuisse ex bellandi ratione effici posse puto; magnis enim expeditionibus Marcomanni aliaeque gentes in Romanorum provincias ad Danubium sitas irruperunt depopulatique sunt, praeda onusti celeriter domum se contulerunt.

Sed cum tali modo cognovissent in Romanorum finibus se fecundiora atque uberiora domicilia inventuros esse, quam domi habuissent, desiderio in haec loca fertiliora demigrandi ibique sedes stabiles certasque collocandi incensi sunt. Quae primum quidem vi armisque capere se posse speraverunt, sed cum Romanis vehementissime resistentibus spem suam se fefellisse intellexissent, precibus Marcum imperatorem adierunt, ut ea sibi concederet [2]). Hae sunt causae, quibus Marcomanni gentesque cum iis coniunctae commotae sunt, ut in provincias Romanas irruerent. Iam ad bellum ipsum describendum transeamus.

roemischen horizonts liegen, sind die nächste ursache des grossen krieges gewesen. Eadem est opinio Schilleri I.[2] p. 643 et Peteri, III. p. 559. Concedo, ut Dettmerus quoque ostendit, complures gentes sedibus relictis in alia loca emigraturos fuisse et emigrationem aliquam vim ad bellum Marcomannicum habuisse, eam autem primam ac praecipuam causam belli fuisse vix probaverim.

Neque verisimiliorem esse puto Dahnii opinionem (Deutsche geschichte vol. I. p. 429), cui assentitur Conradius p. 7, barbaros terrae inopia ad hunc impetum impulsos esse.

[1]) Forschungen z. d. G. p. 177.

[2]) Hostes praecipue praedandi cupidine demigrandique in provincias Romanas commotos esse ex iis, quae Dio Cassius, etiamsi verbis expressis causarum belli mentionem non fecerit, concludi posse puto. Ille enim narrat complures gentes, cum sibi persuasissent se vi pecuniam agrosque capere non posse, ad Marcum venisse sperantes ea precibus se assecuturos esse. cf. Dio 71. 12. 1; ubi haec exstant verba: *Ὅτι Ἀστιγγοι . . . ἦλθον μὲν ἐς τὴν Δακίαν οἰκῆσαι, ἐλπίδι τοῦ καὶ χρήματα καὶ χώραν ἐπὶ συμμαχίᾳ λήψεσθαι*; 71. 12 2. . . . . *πολλὰ δὲ δὴ τὸν Μάρκον ἱκετεύσαντας χρήματά τε παρ' αὐτοῦ λαβεῖν καὶ χώραν γε ἐπαιτῆσαι*. Argumentum sententiae meae verba Capitolini quoque sunt; dicit enim V. M. XIV. 1: „Et Victualis et Marcomannis cuncta turbantibus, aliis etiam gentibus, nisi reciperentur, bellum inferentibus". Quibus verbis efficitur complures gentes domicilia in Romanorum finibus collocandi causa bellum Romanis intulisse.

Caput VI.

Quae res usque ad L. Veri mortem gestae sint.

Tempore, quo Romanis bellum Parthicum gerendum erat, complures gentes bellicae trans Danubium habitantes, quorum praecipue commemorandi sunt Marcomanni [1]), Langobardi [2]), Obiique [3]), id ipsum tempus maxime sibi opportunum esse rati in Romanorum fines irruptionem fecerunt. Qua de Marcomannorum populorumque aliorum, quos commemoravi, expeditione rege Ballomaro facta certiores nos fecit Petrus Patricius [4]). Proelio acerrimo facto, Marcomanni a Vindice Candidoque, Romanorum ducibus, fusi fugatique [5]), cum intellexissent se tunc Romanis nondum pares futuros esse longius progredi destiterunt et legatis ad Aelium Bassum, Pannoniae praefectum, missis pacem petiverunt. Qua data barbari domum reverterunt. Ita periculum imminens tunc quidem amotum est. Sed haud multo post hostes latrocinia tantis copiis renovaverunt, ut Romani impetum eorum non tardarent aut sustinerent neque im-

[1]) De Marcomannis cf. Zeuss: Die deutschen und ihre nachbarstämme, München 1837, p. 114—117; Dettmer p. 172. Marcomannorum imperium constitutum erat a Maroboduo, quo duce sedibus pristinis relictis terram a Boiis antea incultam occupaverunt.

[2]) De Longobardis cf. Dettmer p. 182.

[3]) De Obiis cf. Zeus p. 152; Mommsen, R. G. V. p. 209 ann. 2; Dettmer p. 182.

[4]) Frg. 6. *Λαγγιβάρδων καὶ Ὀβίων ἑξακισχιλίων Ἰστρων περαιωθέντων τῶν περὶ Βίνδικα ἱππέων ἐξελασάντων καὶ τῶν ἀμφὶ Κάνδιδον πεζῶν ἐπιφανσάντων εἰς παντελῆ φυγὴν οἱ βάρβαροι ἐτράποντο· ἐφ' οἷς οὕτω πραχθεῖσιν ἐν δέει καταστάντες ἐκ πρώτης ἐπιχειρήσεως οἱ βάρβαροι πρέσβεις παρὰ Αἴλιον Βάσσον τὴν Παιονίαν διέποντα στέλλονσι Βαλομάριών τε τὸν βασιλέα Μαρκομάνων καὶ ἑτέρους δέκα, καὶ' ἔθνος ἐπιλεξάμενοι ἕνα· καὶ ὅρκοις τὴν εἰρήνην οἱ πρέσβεις πιστωσάμενοι οἴκαδε χωροῦσιν.* Haec Marcomannorum aliarumque gentium invasio a viris doctis in varios annos relata est; a Mommseno p. 209 in annum 161, Dettmero p. 183 in annum 165, Tillemontio, II[2]. p. 606. et a Conradio p. 14 ann. in annum 170, Wietersheimio, geschichte der völkerwanderung vol. I. p. 135 in annum 174. Sed irruptionem illam initio belli Marcomannici factam esse elucet verbis: *ἐκ τῆς πρώτης ἐπιχειρήσεως.*

[5]) Petr. Patr. l. c.

pedire possent, quominus provinciae Romanae vastarentur. In dies hostium numerus augebatur, nam cum initio paucae gentes bello cum Romanis implicatae essent, paulatim omnes nationes, quae terras a Dacia, provincia Romana, ad septentriones orientemque sitas incolebant, arma contra Romanos moverunt, ut Quadi [1]), Victovali [2]), Sarmatae [3]), Vandali [4]), Suebi [5]), Hermunduri [6]), Osi [7]), Celtae [8]), Coistoboci [9]), Roxolani [10]), Daci [11]), complures alii [12]). Quibus cum populis se iunxerunt nonnullae aliae gentes ignotae [13]), quae a Gothonis ex sedibus suis expulsae [14]) tunc novas sedes in Romanorum finibus collocare cupiebant.

[1]) V. M. XXII. 1; Eutrop. VIII. 13; Zeuss p. 117 sq.

[2]) Cf. Zeuss, p. 460; Ammian. Marcel. XVII. 12. 19 significat eos nomine Victohali.

[3]) V. M. XXII. 1; Eutrop. VIII. 13; Zeuss p. 282; Sarmatae iidem sunt ac Jazyges, quo nomine a Dione 71, 3, 2 appellantur: cf. Mommsen p. 197; Dettmer p. 173 sq.

[4]) V. M. XVII. 3; Zeuss p. 443.

[5]) Zeuss p. 55 sq.; Tac. annales II. 45; cf. Mommsen V. p. 195, Dettmer p. 173.

[6]) V. M. XXII. 1; Zeuss p. 103 sq.; Dettmer p. 173; Mommsen p. 195.

[7]) Capitolinus tradidit: Sosibes, Sicobates; Muellenhoff (Haupt: Zeitschrift für das altertum) IX. p. 131 sq. legit pro „Sosibes, Sicobotes", quae gentes omnino ignotae sunt, „Osi, Bessi". Haec coniectura probatur Dettmero p. 174 et Conradio p. 8; cf. Zeuss p. 122, 262 sqq.

[8]) Dio 71. 3 2. Celtas eosdem esse ac Chattos, quos Capitolinus V. M. VIII. 7 affert, verisimile est.

[9]) Muellenhoff, altertumskunde II. p. 83.

[10]) Cf. Mommsen R. G. V. 198.

[11]) Mommsen l. c.

[12]) A Capitolino etiam multo plures aliae gentes afferuntur, quarum nonnullae omnino ignotae sunt. De gentibus illis accuratius disseruit Dettmerus p. 171—180. Idem quoque tentavit hanc confusam seriem gentium componere et discernit nisus verbis Capitolini V. M. XIV. 1: „Et Victualis et Marcomannis cuncta turbantibus", duo genera: I. Marcomannos, quos sequuntur gentes ad occidentem versus habitantes; II. Victualos, qui principatum gentium ad orientem versus habitantium tenent. Tria genera distinguunt Jacobius p. 26 et Conradius p. 8.

[13]) V. M. XIV. 1. . . . aliis etiam gentibus, quae pulsae a superioribus barbaris fugerant, nisi reciperentur, bellum inferentibus.

[14]) Sequor Dettmerum, qui p. 177 sqq. ostendit Gothonos illo tempore in nova loca demigraturos gentes illas sedibus expulisse. Cum Dettmero consentiunt Arnold, Deutsche urzeit p. 130 sqq.; Jung, Roemer und Romanen in den Donauländern, Insbruck 1887 p. 23; Köpke, Entstehung des königtums bei den Gothen p. 44.

Brevi igitur tempore ab hostium catervis provinciae Raetia, Noricum, Pannoniae, Dacia direptae et exspoliatae sunt. Sed barbari non satis habebant agros vastari magnasque praedas agi; immensam quoque incolarum multitudinem in servitutem abduxerunt. Cuius rei fama Romanos pestilentiae saevitia afflictos profligatosque ingenti timore affecit [1]). Quos ut animos excitatos vulgi leniret deorumque iram placaret, Marcus pro religione sua undique sacerdotibus arcessitis, postquam cultus ipsos peregrinos instituit, Romam quoquo modo lustravit. Et cum ipse statim bellum suscipere non posset, praefectum praetorio Furium Victorinum magno cum exercitu misit, qui barbaris iter intercluderet eosque latius progredi prohiberet. Romanis autem tanta clades illata est, ut totus fere Victorini exercitus occideretur [2]). Quibus rebus secundis hostes superbientes

[1]) V. M. XXIII. 1: Tantus autem timor belli Marcomannici fuit, ut undique sacerdotes Antoninus acciverit, peregrinos ritus impleverit, Romam omni genere lustraverit, retardatusque a bellica profectione sit; cf. Eckhel VII. p. 53, v. App. I. 24.

[2]) V. M. XIV. 5; O. Hirschfeld, Untersuchungen auf dem gebiete der roemischen verwaltungsgeschichte, vol. I. p. 226 pro „Furio Victorino" scribi vult „Fabio Victorino"; equidem ei non adstipuler. E. v. Wietersheim p. 122, 552 ann. 1. putat illo tempore Macrinum Vindicem Romanorum ducem fuisse, non Furium Victorinum. Ad sententiam confirmandam affert Dionis verba 71, 3. 5: *Τῶν δὲ Μαρκομάνων ἐπαναστάντων ἔν τινι μάχῃ καὶ τὸν Οὐίνδικα τὸν Μαυρῖνον ἔπαρχον ὄντα ἀποκτεινάντων.* Sane illo loco traditur M. Vindicem a Marcomannis necatum esse, sed, ut infra ostendam, anno demum 172. Tum Wietersheimius p. 133 contendit exercitum Romanorum ex communi belli gerendi ratione omnium gentium illarum fusum fugatumque esse. Sane Capitolinus V. M. XXII et Ammianus Marcellinus XXXI. 5. 13. rem ita narraverunt. Sed omnes concessuros esse spero de coniuratione omnium harum gentium diversarum inter se cogitari non posse, suoque iure Schillerus I², p. 613 dicit: Von einer koalition im grossen stile kann trotz der entgegenstehenden überlieferung nicht die rede sein. Eadem est sententia Dettmeri dicentis p. 190: Ob wir aber uns die völkerbündnisse von Germanen in jener Zeit so zu denken haben, dass dieselben vorher einen so feinen kombinierten kriegsplan entworfen hätten, scheint mir sehr zweifelhaft, es heisst den damaligen Germanen etwas viel zuzutrauen. Cf. etiam Ranke, W. G. vol. III. p. 340. De firmo communique consilio harum gentium cogitare non licere argumento est, quod singulae

longius processerunt et praeter omnium opinionem Alpibus transiectis in Italiam ipsam ingressuri Aquileiam oppugnaverunt. Cuius quidem urbis operibus munitionibusque firmatae, cum Romani vehementissime impetum hostium reprimerent, oppugnatione desistere coacti sunt, Opitergium autem, quae urbs prope sita erat, expugnaverunt et incendio deleverunt [1]).

Interea Marcus Romae summa vi bellum contra barbaros paravit haud ignorans, quantum periculum imperio Romano impenderet. Necessariis igitur paratis Marcus cum Lucio Vero ex oriente reverso anno 167 [2]) contra hostes profectus est statimque res valde mutata est. Brevi tempore imperatores provincias Romanas barbaris liberaverunt; complures enim gentes, quae belli participes erant, cum timore nominis legionum Romanarum proelio decertare non auderent, simulatque de imperatorum adventu certiores factae sunt, recesserunt, aliae autem, ut Quadi, belli fortunam periclitatae a Romanis proelio victae sunt [3]) et paulo post legatis missis pacem rogaverunt. Qua a

cum Romanis pacem inierunt, complures quoque foedere icto cum iis se coniunxerunt maiora commoda a Romanis sperantes. Dio 71. 11. 1. 3.

[1]) Ammian. Marcel. XXIX. 6. 1. . . . obsessaque ab iisdem ac Marcomannis Aquileia, Opitergiumque excisum.

[2]) Imperatores anno 167 profectos esse ex nummis apparet. cf. Eckhel VII. p. 53, v. App. I. 24; cf. Ranke, W. G. III p. 340; Dettmer p. 190; Schiller p. 643.

[3]) Capitolinus quidem rem ita depinxit (V. M. XIV. 3): „Nec parum profuit ista profectio, cum Aquileiam usque venissent. Nam plerique reges et cum populis suis se retraxerunt et tumultus auctores interemerunt. Quadi autem amisso rege suo non prius se confirmaturos eum, qui erat creatus, dicebant, quam id nostris placuisset imperatoribus". Ea, quae a Capitolino narrantur, non solum obscura, sed etiam, ni fallor, non probabilia sunt. Capitolinum, si sequimur, Quadi appropinquante Romanorum exercitu sua sponte ab imperatoribus petivisse videntur, ut sibi novum regem comprobarent. Sed ex nummis nobis concludere licet Quados iam Antonini Pii temporibus in obsequio quodam Romanorum fuisse. Hoc inde efficitur, quod in nummo quodam (Eckhel VII. p. 15) legitur: „Rex Quadis Datus. S. C." Vereque Mommsenus R. G. V. p. 209 dicit: Das lehnsverhältnis der Quadenfürsten wurde sogar unter Pius regierung durch die erbetene bestätigung in förmlicher weise anerkannt. Quod si, ut statuimus, iam Antonini Pii temporibus rex Quadorum a Romanis comprobandus erat non intelligo, cur tunc Quadi ultro ad Romanos venerint petentes, ut sibi novum regem constituerent. Mea enim

Marco concessa conditione, ut rex novus a Romanis agnoscendus esset, in pristinum obsequii statum redierunt. Quos ob proventus secundos Marcus et Lucius Verus a militibus denuo imperatorum nominibus salutati sunt.

Paulo post ceterae quoque gentes legatos miserunt, qui pacem veniamque peterent [1]). At Marcus verbis barbarorum, qui iam antea, ut supra vidimus, invasionibus se abstenturos esse polliciti erant [2]), diffisus, quamvis frater Romam redire cuperet, eo vehementius iis instandum esse putabat [3]). Qua de causa Marcus cum fratre suo Alpibus superatis fines Italiae Illyriaeque firmis praesidiis munivit [4]). Quo facto Lucii Veri precibus commotus Romam revertit [5]), ubi cum pestilentia permulti et no-

sententia multo probabilius est Romanos Quadis proelio, quo rex eorum occisus est, victis ad suum arbitrium novum regem dedisse. Qua ex re repeti potest, quod Quadi paucis annis post regem Furtium tunc a Romanis impositum depulerunt et suo arbitratu novum creaverunt (cf. Dio 71. 13. 3.).

Romanos autem cum Quadis proelio dimicavisse mihi elucere videtur ex Capitolini verbis: „Quadi autem amisso rege suo." Quam ad sententiam adducor nummis quoque, in quibus inscriptum est: M. Antoninus Aug. Arm. Parth. Max. Tr. Pot. XXII. Imp. V. Cos. III. (Eckhel VII. p. 57). Cum nummi prioris partis anni „Imp. IV." legendum praebeant, medio anno 168 victoriam partam esse concludere licet. Dettmerus quidem putat imperatores in Alpium angustiis victoria potitos esse dicens: Man forcirte wahrscheinlich die Alpenpässe durch eine glückliche schlacht, welche beiden kaisern den Imperatortitel eintrug. Sed haec viri doctissimi opinio mihi nimis audax esse videtur, cum de proelio in Alpium angustiis commisso nihil memoriae proditum sit.

Dettmeri sententia probatur Wietersheimio p. 124, qui argumentum sententiae suae Dionis verba 71. 3. 3 affert: *Καίτοι δὲ ἰσχυροτάτου ἀγῶνος καὶ λαμπρᾶς νίκης γεγενημένης.* Sed haec verba referenda esse ad victoriam paucis annis post partam infra exponemus. Mihi igitur verisimile esse videtur duobus imperatoribus ex victoria illa de Quadis reportata imperatoris nomen datum esse.

[1]) V. M. XIV. 4: Cum plerique ad legatos imperatorum mitterent, defectionis veniam postulantes.

[2]) Petr. Patr. frg. 6: *Καὶ ὅρκοις τὴν εἰρήνην οἱ πρέσβεις πιστωσάμενοι οἴκαδε χωροῦσιν.* cf. p. 37.

[3]) V. M. XIV. 5: Marcus autem fingere barbaros aestimans et fugam et cetera, quae securitatem bellicam ostenderent, ob hoc ne tanti apparatus mole premerentur, instandum esse ducebat.

[4]) V. M. XIV. 6; V. V. IX. 8.

[5]) Difficillimum est statuere, quo ordine atque quo anno singulae res

bilissimi viri consumpti essent, duo imperatores summa diligentia cladi publicae medebantur [1]). Et cum tunc per aliquod tempus vehementia pestis illius remissa esset, legionibus novis conscriptis exeunte ipso anno 168 denuo Aquileiam se contulerunt, unde contra hostes proficisci statuerant. Sed cum pestilentia in hac urbe vehementissime orta esset [2]), non diu commorati perpaucis cum militibus re infecta [3]) Romam confugerunt. In iti-

se exceperint, cum rerum scriptores aut omnino de rebus gestis taceant, aut plane confusa tradant. Optimo igitur iure Rankenus, vir doctissimus, dicit (W. G. III. p. 343): Die feststellung der einzelnen kriegsereignisse hat die grössten ethnographischen und topographischen schwierigkeiten. Capitolinum, cui assentitur Wietersheimius p. 123, si sequimur, ab imperatoribus inde ab anno 167 usque ad annum 169 unam tantum expeditionem contra hostes factam esse nobis statuendum erit. Sed repugnant nummi, ex quibus elucet imperatores anno 168 Romam rediise, cf. Eckhel VII. p. 57, v. App. I. 25. Praeterea verbis Ulpiani (Huschke, inrisprud. anteiustin. quae supersunt) p. 67: Secundum orationem divi Marci, quam in castris praetoriis recitavit Paulo et Aproniano coss. VIII. Id. Jan., (Hi consules fuerunt anno 168 cf. Clinton, Fasti Romani p. 100) non dubium esse potest, quin Marcus anno 168 re vera Romae fuerit; mecum fecerunt Dettmerus p. 191 et Conradius p. 12. Eo autem falsam esse puto Dettmeri sententiam, quod dicit in nummis anni 167 inscriptum esse „Fort. Red.“ Equidem hanc inscriptionem nummorum anno demum 168 invenire potui. Qua de causa nostro iure contendemus ab imperatoribus inde ab anno 167 usque ad annum 169 duas expeditiones adversus barbaros factas esse. Idem opinantur Noëlius de Vergers p. 67 sq., Dettmerus p. 192 sq., Conradius p. 12. Sed quo iure Conradius contenderit Dettmerum unam tantum expeditionem in hostes factam esse velle equidem non intellego; nam quivis illam Dettmeri commentationem accuratius legerit, concedet sententiam Conradii nimis levem et futilem esse.

[1]) V. M. XIII. 5.

[2]) Galen (op. ed. Kühn 1821/33) tom. XIX. p. 17, 18. haec tradidit: *Ἀφίκετο δ' εὐθέως ἐξ Ἀκυλίας τὰ παρὰ τῶν αὐτοκρατόρων γράμματα καλούντων με· προῄρηντο γὰρ αὐτοί χειμάσαντες ἔτι τοὺς Γερμανοὺς ἐξελαύνειν . . . ἐπιβάντος οὖν μου τῆς Ἀκυλίας κατέσκηψεν ὁ λοιμὸς ὡς οὔπω πρότερον, ὥστε τοὺς μὲν αὐτοκράτορας αὐτίκα φεύγειν εἰς Ῥώμην ὕμα στρατιώτας ὀλίγους.*

[3]) Hoc loco sententiam a Conradio (p. 12) allatam Marcum cum hostibus, priusquam Romam reverteretur, pacem iniisse refellam. Dicit enim: Aus verschiedenen äusseren wie inneren gründen muss aber der krieg für beendet angesehen worden sein. Denn es entsprach nicht Marcus wesen, etwas nur halb zu thun, er bestand gegen Verus darauf dem feinde zu leibe zu gehen, und seine gewohnheit war, wie es bei der schilderung des zweiten krieges heisst, nicht eher zu weichen, als bis er alle kriege beendet hatte . . .

nere autem L. Verus prope urbem Altinum cum fratre in curru sedens morbo, qui apoplexis vocatur, correptus mortuus est [1]) anno nono imperii sui [2]). Veri corpus Romam traductum in

Wir wissen ferner, dass die meisten Koenige mit ihren voelkern bei der annäherung des kaisers sich zurückzogen, die anstifter des krieges töteten, und die Quaden sogar ihren neuen könig von den Roemern bestätigen liessen. Weist dieses benehmen der feinde nicht auf einen wirklich geschlossenen frieden hin? Zum überflusse wird noch im Verus 9, 9 ausdrücklich betont, dass die barbaren durch gesandte um frieden baten.

Primum dicam contra ultimum argumentum a Conradio allatum.

Sane Capitolinus dicit hostes per legatos pacem oravisse, idem autem rerum scriptor verbis expressis tradidit Marcum ita non verbis hostium fidem tribuisse, ut acrius et intentius eis instandum esse duceret; cf. V. M. XIV. 5, ubi haec exstant verba: „Marcus autem fingere barbaros aestimans et fugam et cetera . . . instandum esse ducebat“. His iisdem Capitolini verbis alterum quoque argumentum Conradii dicentis eo, quod hostes recessissent et auctores belli interemissent, iustam pacem initam esse futile fieri puto. Quados non ultro a Marco petivisse, ut sibi regem comprobaret, iam supra dictum est. Gravissimum autem argumentum sententiae meae imperatores non pacem cum barbaris fecisse sunt verba Galeni, e quibus elucet Marcum et Verum contra hostes profecturos pestilentia gravissima orta invitos Romam redire coactos esse. Equidem ita rem se habuisse puto: Duo imperatores pace cum Quadis facta hostes ceteros persequuntur, hi recedunt. Finibus imperii praesidiis firmatis Romam redeunt. Hostes, sive quod apud ipsos quoque, ut Dettmerus et Heckerus opinantur, pestilentia saeviebat, sive quod complurибus demum gentibus ad partem suam traductis bellum paraturi erant, indutias conservant. Brevi tempore intermisso imperatores maioribus copiis conscriptis denuo hostes ingressuri erant, tum autem propter pestilentiae impetum Romam se conferunt; in itinere Lucius Verus diem supremum obit; paulo post mortem eius Marcus denuo contra hostes proficiscitur.

[1]) V. M. XIV. 8; V. V. IX. 11; Galen l. c.: *Ἀλλὰ τοῦ Λουκίου κατὰ μέσον τοῦ χειμῶνος μεταστάντος εἰς θεοὺς ὁ ἀδελφὸς αὐτοῦ κομίσας εἰς Ῥώμην τὸ σῶμα*; cf. Suidas s. v. *ἀπόπληξις*.

[2]) Perperam Capitolinus memoriae tradidit V. V. XI. 1, L. Verum cum fratre undecim annos regnasse. Quem si sequeremur, nobis accipiendum esset Verum anno demum 171 mortuum esse. Tali autem sententiae et ceteri rerum scriptores et nummi repugnant. Quae cum ita sint, non intellego, quo iure Dettmerus contenderit L. Verum anno undecimo imperii diem supremum obiisse, cum concedat eum iam anno 169 mortuum esse. Dicit enim vir doctissimus p. 192: Indessen derselbe stirbt erst 169, im elften jahre seiner regierung, denn die ueberlieferung einiger, die zweifelnd hinzufuegen sive nono anno, ist offenbar aus einer verwechselung der zahlzeichen XI und IX

Hadriani sepulcrum illatum est, omnesque honores usitati ei a Marco Aurelio tributi sunt [1]).

Caput VII.

De M. Aurelii usque ad Avidii Cassii seditionem rebus gestis.

Post L. Veri mortem imperator Marcus aliquamdiu Romae commoratus est, ut miserias civium leniret resque afflictas sublevaret. Qua de causa populo tot tantisque calamitatibus confecto novas largitiones dedit [2]), quae eo gratiores fuerunt, quod fame gravissima Romani in summas angustias adducti erant. Simul autem summa diligentia curaque omnia, quae ad bellum pertinebant, paravit et instruxit. Nam cum barbari absentia Marci usi denuo magnis expeditionibus in Romanorum fines irruissent et omnia vastavissent, bellum Marcomannium redintegratum et usque ad annum 175 sine ulla intermissione animis infestissimis et pervicacissimis utrimque gestum est. Sed cum et peste et proeliis maximus militum numerus interiissent Marcus servos quoque, qui summo tantum discrimine armari solebant, ad militiam instruxit et voluntarios appellavit.

entstanden. L. Verum autem anno demum 161 a Marco imperii participem factum esse satis bene constat.

[1]) Eckhel VII. p. 95, v. App. I. 26; cf. Wilmanns 951 = C. J. L. III. 1450, v. App. II. 23. Immerito vituperat Eckhelius VII. p. 58, quocum consentit re non excussa Wietersheimius p. 119 ann. b. Tillemontium, tom. II.[3] p. 978 not. XII et tom. II.[3] p. 602, quod putaret L. Verum anno demum 171 e vita decessisse. Sed legas, quaeso, quae Tillemontius narrat II.[3] p. 978 not. XII.: C'est donc une faute à Capitolin, à Eutrope et à l'épitome de Victor ou à leur copistes de lui avoir donné onze ans de regne au lieu de neuf, XI pour IX; cf. etiam II.[3] p. 602.

[2]) Eckhel VII. p. 57, v. App. I. 27. Permultos milites peste illa periisse testatur Galenus t. XIX. p. 17, 18: . . . . *Ἡμᾶς δὲ τοὺς πολλοὺς μόλις ἐν χρόνῳ πολλῷ διασωθῆναι, πλείστων ἀπολλυμένων οὐ μόνον διὰ τὸν λοιμὸν ἀλλὰ καὶ τὸ διὰ μέσου χειμῶνας εἶναι τὰ πραιτόμενα.* cf. Eutrop. VIII. 6. 7. Sed ab hoc rem verbis exasperatam esse optimo iure contendit Dettmerus p. 194; cf. Friedlaender, sittengeschichte I. 5. p. 34 sq. cf. Orelli 5489, v. App. II. 24.

nec non gladiatoribus usus est, quibus nomen obsequentium dedit [1]). Praeterea Germani conducti sunt, qui contra Germanos pugnarent. Quin etiam latrones Dalmatiae Dardaniaeque, denique Diocmitas, qui vocantur, armare non veritus est [2]). Itaque cum legionibus aliquid refectis aerarium omnino fere exhaustum esset, in foro Traiani vestes, pocula, vasa aurea et argentea, tabulas ab optimis celeberrimisque artificibus pictas, multas alias res pretiosas auctione vendidit [3]), ne incolis provinciarum diuturnitate bellorum et luxuria iniuriisque proconsulum exhaustis atque in summam paupertatem redactis nova onera vectigaliaque imponere cogeretur, ita tamen, ut postea iis, qui res emissent, reddere liceret. Quibus peractis duae novae legiones II. Pia et III. Concordia praesidio Raetiae ac Norici, quae provinciae maxime hostium incursionibus obiectae erant, conscriptae sunt [4]). Omnibus igitur paratis Marco iam profecturo subito filius septem annorum anno 166 Caesar factus morte ereptus est [5]). Hanc mortem pater tulit eo animo aeqo atque tam forti, ut medicos graviter hunc casum ferentes consolaretur, neque ludos Iovis Optimi Maximi, qui illis diebus celebrantur, intermitti nollet [6]). Luctu igitur propter periculum impendens quinque tantum dierum habito honoribusque iustis filio tributis exeunte anno 169 milites denuo contra hostes duxit [7]). De rebus annis insequentibus gestis quidquam certi traditum non est. Primum imperator id praecipue egisse videtur, ut provincias ab hostibus liberaret [8]), bellum magis defenderet, quam inferret. Vindobona, Carnuntum, Aquincum, Sirmium loca erant [9]), qui-

[1]) V. M. XXI. 6. sq.

[2]) V. M. l. c.; Ammian. Marcell. XXVII. 9. 6.

[3]) V. M. XXI. 9; XVII, 4, 5; Eutrop. VIII. 13..

[4]) Wilmanns 1426 = C. J. L. 1979, v. App. II. 25.

[5]) V. M. XXI. 6. cf. Mommsen, Hermes vol. VIII p. 206 (jahrg. 1874).

[6]) Conradius p. 13 quidem dicit ludos illos intermissos esse argumento usus verbis Capitolini XXI. 3—5: Et quia ludi Jovis Optimi Maximi erant, interpellari eos publico luctu noluit. Equidem ex illis verbis concludo ludos illos non intermissos esse.

[7]) cf. Eckhel VIII. p. 58, v. App. I. 28.

[8]) Quam ob rem Marcum restitutoris Italiae nomen adeptum esse opinor. cf. Eckhel VII. p. 58, v. App. I. 29.

[9]) Dio 71. 3. 2.: *Τὴν Παννονίαν ἔχων ὁρμητήριον*; cf. Philostrati vita sophistarum ed. Kayser II. 667; *τῶν εἰς ἑαυτὸν* I. II, in fine.

bus milites in hospitia divisi erant, unde impetus in hostes fecit. Sed initio Romani adverso Marte pugnavisse et permultos viros fortissimos ac nobilissimos occisos esse verisimile est, qua de causa amici Marcum, ut bello desisteret, admonuerunt; at precibus eorum ita non cessit, ut hostes denuo summa vi aggredi constitueret [1]). Primis autem annis non tam iustas pugnas factas esse, quam proelia leviora, quibus Romani hostes lacessiverint, contenderim.

Anno 170 Marcus, postquam hostes proelio vicit, sextum a militibus imperator salutatus est [2]). Eodem autem anno imperatorem Romae fuisse nummis indicatur [3]), sed haud multo post eum iterum ad bellum profectum esse nummis quoque comprobatur [4]).

Eodem anno Tillemontius [5]) seditionem illam, quam Bucolicam vocamus, factam esse dicit, quod probare aut refellere neque volo neque possum, cum testimoniis certis de illa seditione omnino careamus. Bucoli enim, gens ferocissima atque maxime rudis, ceteris quoque Aegyptiis concitatis cum duce sacerdote quodam, nomine Isidori, centuriam Romanam oppressissent, paulo post proelio commisso victores in animo habebant Alexandriam ipsam expugnare. Sed ab Avidio Cassio, Syriae praefecto, repulsi [6]) refugerunt et consilio capto destiterunt.

Sed his ipsis tam gravibus temporibus imperator, quotiescunque aliquid otii ab hoste erat, summum studium in philoso-

[1]) V. M. XXII. 8.

[2]) Eckhel VII. p. 59, v. App. l. 30. Non assentiar Dettmero, qui p. 196 victoriam, cuius Capitolinus V. M. XXI. M. 10: (Marcomannos in ipso transitu Danuvii delevit et praedam provincialibus reddidit) mentionem facit, ad inscriptionem illam refert. Argumentum, quod affert sententiae suae probandae causa, nullius momenti, ut equidem puto, est. Dicit enim: Dahin (170) setze ich den von Capitolin, V. M. c. 21. erwähnten sieg über die Markomannen, weil er unmittelbar auf die schilderung von der auction folgt. Ut omittam, ne tempus quidem, quo res illae pretiosae sub hasta venerint, notum esse, afferam a Capitolino rerum gestarum ordinem saepissime servatum non esse. Alio loco de illa victoria disseram.

[3]) Eckhel VII. p. 60, v. App. l. 31.

[4]) Eckhel l. c., v. App. l. 32.

[5]) Histoire II.² p. 612.

[6]) V. M. 21. 2; V. Avid. Cas. VI. 7; Dio 71. 4.

phiam impendit atque libros illos, qui „*τῶν εἰς ἑαυτόν*“ inscribuntur, conscripsit [1]).

Anno 171 Romanis novum periculum a Chattis seu Celtis [2]), qui fortasse coniuncti cum Marcomannis in Raetiam Noricumque irruperunt magnamque praedam ex agris rapuerunt, imminebat. Quos ad depellendos Marcus generum suum, Claudium Pompeianum [3]), et Helvium Pertinacem [4]), qui postea imperator factus est, misit. Proelio acerrimo, quo Pertinax maxime excellens fuit, facto splendidissima victoria Romani potiti sunt; hostes refugerunt. Qua tamen clade hostes ita non infracti sunt, ut

[1]) cf. *τῶν εἰς ἑαυτόν* l. ll. in fine.

[2]) De tempore Chattorum invasionis valde dissentitur. Mommsenus, R. G. V. p. 312 illam duobus imperatoribus vivis factam esse censet. Errare autem virum doctissimum puto; nam Capitolinus (V. Pertinacis ll. 4. 6.) affert Pertinacem beneficio Claudii Pompeiani, Marci generi, primae legioni a Marco antepositum statim Raetiam ac Noricum ab hostibus liberavisse. Qua de causa irruptionem post annum 169 factam esse statuam, quia hoc demum anno Pompeianus Marci filiam Lucillam, quae L. Veri uxor fuerat, in matrimonium duxit (cf. V. M. XX. 6). Neque assentiar Dettmero, qui p. 202 opinatur cum Chattis exeunte demum ante 174 pugnatum esse. Nam argumenta ab eo allata mihi nimis audacia atque insolentia esse videntur. Narrat enim Dio 71. 3. Pompeiani ac praecipue Pertinacis virtute hostibus illam cladem illatam esse, tum Romanos a Marcomannis victos esse, sed paulo post Marcum, cum iis superior fuisset, Germanici nomen adeptum esse. Nomen autem Germanici in nummis legitur anno 172 cf. Eckhel VII. p. 59, v. App. I. 33. Quae cum ita sint Romanos cum Chattis ante annum 172 conflixisse statuendum est. Praeterea legimus in nummis anni 171: M. Antoninus Aug. TR. P. XXIV. Imp. VI. Cos. III. (Victoria stans clypeum ex palmae trunco suspensum tenet, cui inscriptum: Vict. Ger.) Ex hac igitur inscriptione apparet Romanos anno 171 victoria de hostibus potitos esse. Et quoniam, ut exposui, victoria de Chattis populisque cum iis coniunctis post annum 169, sed ante annum 172 parta est, equidem extimem hanc nummorum inscriptionem ad victoriam illam praeclaram spectare. Nam cum constet Romanos res bene gestas nummis vel titulis celebrare solitos esse non dubium esse potest, quin illa quoque victoria inscriptionibus illustrata sit, praesertim cum Dio Cassius narraverit proelio acerrimo commisso denique Romanos magnificentissimam victoriam tulisse. cf. Dio 71. 3. 3, ubi haec legimus: *Καίτοι δὲ ἰσχυροτάτου ἀγῶνος καὶ λαμπρᾶς νίκης γεγενημένης.* His de causis anno 171 cum Chattis dimicatum esse statuam.

[3]) Dio 71. 3. 2.

[4]) V. Pertinacis II. 6; Dio l. c.

bus milites in hospitia divisi erant, unde impetus in hostes fecit. Sed initio Romani adverso Marte pugnavisse et permultos viros fortissimos ac nobilissimos occisos esse verisimile est, qua de causa amici Marcum, ut bello desisteret, admonuerunt; at precibus eorum ita non cessit, ut hostes denuo summa vi aggredi constitueret [1]). Primis autem annis non tam iustas pugnas factas esse, quam proelia leviora, quibus Romani hostes lacessiverint, contenderim.

Anno 170 Marcus, postquam hostes proelio vicit, sextum a militibus imperator salutatus est [2]). Eodem autem anno imperatorem Romae fuisse nummis indicatur [3]), sed haud multo post eum iterum ad bellum profectum esse nummis quoque comprobatur [4]).

Eodem anno Tillemontius [5]) seditionem illam, quam Bucolicam vocamus, factam esse dicit, quod probare aut refellere neque volo neque possum, cum testimoniis certis de illa seditione omnino careamus. Bucoli enim, gens ferocissima atque maxime rudis, ceteris quoque Aegyptiis concitatis cum duce sacerdote quodam, nomine Isidori, centuriam Romanam oppressissent, paulo post proelio commisso victores in animo habebant Alexandriam ipsam expugnare. Sed ab Avidio Cassio, Syriae praefecto, repulsi [6]) refugerunt et consilio capto destiterunt.

Sed his ipsis tam gravibus temporibus imperator, quotiescunque aliquid otii ab hoste erat, summum studium in philoso-

[1]) V. M. XXII. 8.

[2]) Eckhel VII. p. 59, v. App. I. 30. Non assentiar Dettmero, qui p. 196 victoriam, cuius Capitolinus V. M. XXI. M. 10: (Marcomannos in ipso transitu Danuvii delevit et praedam provincialibus reddidit) mentionem facit, ad inscriptionem illam refert. Argumentum, quod affert sententiae suae probandae causa, nullius momenti, ut equidem puto, est. Dicit enim: Dahin (170) setze ich den von Capitolin, V. M. c. 21. erwähnten sieg über die Markomannen, weil er unmittelbar auf die schilderung von der auction folgt. Ut omittam, ne tempus quidem, quo res illae pretiosae sub hasta venerint, notum esse, afferam a Capitolino rerum gestarum ordinem saepissime servatum non esse. Alio loco de illa victoria disseram.

[3]) Eckhel VII. p. 60, v. App. I. 31.

[4]) Eckhel l. c., v. App. I. 32.

[5]) Histoire II.[2] p. 612.

[6]) V. M. 21. 2; V. Avid. Cas. VI. 7; Dio 71. 4.

phiam impendit atque libros illos, qui „*τῶν εἰς ἑαυτόν*“ inscribuntur, conscripsit [1]).

Anno 171 Romanis novum periculum a Chattis seu Celtis [2]), qui fortasse coniuncti cum Marcomannis in Raetiam Noricumque irruperunt magnamque praedam ex agris rapuerunt, imminebat. Quos ad depellendos Marcus generum suum, Claudium Pompeianum [3]), et Helvium Pertinacem [4]), qui postea imperator factus est, misit. Proelio acerrimo, quo Pertinax maxime excellens fuit, facto splendidissima victoria Romani potiti sunt; hostes refugerunt. Qua tamen clade hostes ita non infracti sunt, ut

[1]) cf. *τῶν εἰς ἑαυτόν* l. ll. in fine.

[2]) De tempore Chattorum invasionis valde dissentitur. Mommsenus, R. G. V. p. 312 illam duobus imperatoribus vivis factam esse censet. Errare autem virum doctissimum puto; nam Capitolinus (V. Pertinacis ll. 4. 6.) affert Pertinacem beneficio Claudii Pompeiani, Marci generi, primae legioni a Marco antepositum statim Raetiam ac Noricum ab hostibus liberavisse. Qua de causa irruptionem post annum 169 factam esse statuam, quia hoc demum anno Pompeianus Marci filiam Lucillam, quae L. Veri uxor fuerat, in matrimonium duxit (cf. V. M. XX. 6). Neque assentiar Dettmero, qui p. 202 opinatur cum Chattis exeunte demum ante 174 pugnatum esse. Nam argumenta ab eo allata mihi nimis audacia atque insolentia esse videntur. Narrat enim Dio 71. 3. Pompeiani ac praecipue Pertinacis virtute hostibus illam cladem illatam esse, tum Romanos a Marcomannis victos esse, sed paulo post Marcum, cum iis superior fuisset, Germanici nomen adeptum esse. Nomen autem Germanici in nummis legitur anno 172 cf. Eckhel VII. p. 59, v. App. I. 33. Quae cum ita sint Romanos cum Chattis ante annum 172 conflixisse statuendum est. Praeterea legimus in nummis anni 171: M. Antoninus Aug. TR. P. XXIV. Imp. VI. Cos. III. (Victoria stans clypenum ex palmae trunco suspensum tenet, cui inscriptum: Vict. Ger.) Ex hac igitur inscriptione apparet Romanos anno 171 victoria de hostibus potitos esse. Et quoniam, ut exposui, victoria de Chattis populisque cum iis coniunctis post annum 169, sed ante annum 172 parta est, equidem extimem hanc nummorum inscriptionem ad victoriam illam praeclaram spectare. Nam cum constet Romanos res bene gestas nummis vel titulis celebrare solitos esse non dubium esse potest, quin illa quoque victoria inscriptionibus illustrata sit, praesertim cum Dio Cassius narraverit proelio acerrimo commisso denique Romanos magnificentissimam victoriam tulisse. cf. Dio 71. 3. 3, ubi haec legimus: *Καίτοι δὲ ἰσχυροτάτου ἀγῶνος καὶ λαμπρᾶς νίκης γεγενημένης.* His de causis anno 171 cum Chattis dimicatum esse statuam.

[3]) Dio 71. 3. 2.

[4]) V. Pertinacis II. 6; Dio l. c.

haud multo post invasiones renovarent et eo gravius Romanos urgerent.

Eodem anno praefectus praetorio Macrinus Vindex cum Marcomannis pugnans cecidit, cuius in honorem imperator tres statuas poni iussit [1]).

Sub illo quoque tempore M. Claudium Frontonem, qui provinciis Daciae ac Moesiae praeerat, ab hostibus occisum esse comperimus [2]).

Brevi autem tempore intermisso Romani cladem ducibus suis illatam rebus magnifice gestis ulti sunt, nam iterum cum Marcomannis congressi, postquam superiores fuerunt [3]), fugientes persecuti sunt et in ipso Danubii transitu [4]) eos denuo aggressi fuderunt ac fugaverunt. Quam ob pulchram victoriam Marcus a legionibus titulo insigni „Germanicus" ornatus est [5]). Praeda, qua Romani illo proelio potiti eunt, imperator, ut incommoda a barbaris illata aliquid saltem reficeret, provinciarum incolis reddidit [6]). Tanta et praeclara victoria de Marcomannis parta

[1]) Dio 71. 3. 5: *Τῶν δὲ Μαρκομάνων ἐντυχησάντων ἔν τινι μάχῃ καὶ τὸν Οὐΐνδικα τὸν Μαχρῖνον ἔπαρχον ὄντα ἀποκτεινάντων.* cf. Hirschfeld, verwaltungsgesch. p. 226 sq.

[2]) Wilm. 636 = Henzen 5478 = C. J. L. III. 1457, v. App. II. 20. In adnotatione ad hunc titulum Wilmanns secutus Borghesi ostendit Frontonem interfectum esse inter annos 170—172. cf. Mommsen, vol. V. p. 213.

[3]) Dio 71. 3. 5.

[4]) V. M. XXI. 10: „Marcomannos in ipso Danuvii transitu delevit." Hanc victoriam Swoboda p. 19 et Dettmerus p. 196, cum anno 170 Romanos eam adeptos esse opinentur, ad titulum quendam, cui inscriptum est: M. Antoninus. Aug. TR. P. XXIV. (Caput laureatum, Vict. Aug. Cos. III. TR. P. XXIV. imp. VI.) referunt. Sed falso (cf. p. 47). Mihi enim verisimilius esse videtur proelium illud in Danubio flumine commissum significare hac inscriptione: M. Antoninus. Aug. TR. P. XXVI. Virtus. Aug. Imp. VI. Cos. III. S. C. (Pons navalis, supra quo incedit imperator sequentibus militibus cum signis militaribus.) Et cum in hoc titulo legatur: TR. P. XXVI, victoriam anno 172 latam esse contenderim. A Romanis bellum terra marique gestum esse elucet ex verbis Cap. V. Pert. II. 2: Inde classem Germanicam rexit; suoque iure Dettmerus annotavit Romanos bello Marcomannico navibus usos esse. cf. Noël de Vergers p. 145.

[5]) Dio 71. 3. 5. *Κρατήσας δὲ αὐτῶν Γερμανικὸς ὠνομάσθη*; Eckhel VII. p. 59, v. App. I. 33, 35.

[6]) V. M. XXI. 10.

Romani hostium vires fractas Germaniamque dicionis suae factam esse rati nummos ad hanc victoriam celebrandam cuserunt, quibus inscriptum est: Germania subacta [1]). Ac tum re vera pace cum Romanis inita Marcomanni valde comminuti per aliquod tempus invasionibus in fines Romanos destitisse videntur.

Ita Quadis, Chattis, Marcomannis pacatis Marcus summa vi contra gentes ad orientem versus habitantes, Iazyges, quibuscum Cotinos, Bastarnas, Costobocos, Roxolanos, Alanos, Lacringos, Astingos, Victovalos coniunctos fuisse verisimile est, se convertit. De singulis rebus hoc bello gestis agi non potest, cum ea, quae veteres memoriae tradiderunt, maxime exilia atque incerta sint. Iam eo tempore, quo cum Marcomannis dimicabatur, cum Iazygibus quoque, gente ferocissima, compluria proelia commissa esse videntur, quibus maxime excellens fuit M. Claudius Fronto [2]).

Maxime commemorandum est proelium in Danubio cum Romanis commissum. Iazyges enim terra a Romanis victi [3]) terga verterunt. Sed cum viderent Romanos se persequi, in Danubio gelu consistente restiterunt sperantes se ibi Romanos glaciei insuetos facile oppressuros esse. Quae quidem spes eos fefellit; nam Romani, quamquam tale genus pugnandi novum atque insolitum eis erat, tamen scutis in glaciem coniectis, ut melius consisterent gravissime hostes adorti superiores fuerunt [4]).

[1]) Eckhel VII. p. 60, v. App. I. 37.

[2]) C. J. L. VI. 1377. . . . Quod post aliquot secunda proelia adversum Germanos ac Jazyges.

[3]) Dio 71. 7. 1. *Τοὺς δὲ Ἰάζυγας οἱ Ῥωμαῖοι ἔν τε τῇ γῇ τότε καὶ μετὰ τοῦτο καὶ ἐν τῷ ποταμῷ ἐνίκησαν.*

[4]) Dio 71. 7 - 8. Conradius ad has de Jazygibus victorias partas refert nummos illos, quos supra iam attuli, quibus inscriptum est: Germania subacta. Sed Conradium in errore versari puto. Ut omittam, quod Conradius Jazyges ad Germanorum numerum adscripsit, cum, si inscriptiones illius aetatis respexeris, Jazyges a Germanis distinguantur (cf. C. J. L. 1377 . . . Post aliquot secunda proelia adversum Germanos et Jazyges), afferam proelio illo commisso non dici potuisse Germaniam esse subactam. Illa pugna Jazygium vires minutae quidem erant, sed non fractae. Nam paucis annis post, cum a Marco denuo fusi fugatique tandem pacem inituri essent, magnae iis opes erant, quod elucet e Dionis verbis (71. 16. 2): *Ὅτι γὰρ καὶ τότε ἔτι ἔῤῥωντο.* Quod cum Marcus ipse sibi persuasisset, in hostes bello persequendo

Qua pugna Iazyges victi quidem, sed non deleti sunt. Proelium, quod dixi, hieme anni 173 factum esse puto [1]). Iazygibus fugatis aliquamdiu otium ab hostibus fuisse videtur. Qua de causa Marcus victoria illa potitus in breve tempus Romam rediit, quod e nummis concludere licet [2]), quamquam rerum scriptores nihil de ea re tradiderunt. Sed Romae imperator paulisper tantum commoratus esse videtur.

Parvo enim temporis spatio intermisso Romani novo ac periculoso bello contra Quados implicati sunt. Hi, ut supra vidimus, amisso rege pacem cum Romanis conciliaverant, quam per complures annos servavisse videntur. Aestate autem anni 174 [3]) seditione facta de improviso exercitum Romanum aggressi loco maxime iniquo circumvenerunt [4]), ut Romani in summas angustias adducerentur. Quadi enim, postquam Romanos undique cinxerunt, ut hi aquam petere non possent, proelium intermiserunt sperantes se illos aestu ac siti confectos facilius oppressuros esse. Itaque cum Romani defessi lacessitudineque confecti essent, neque diutius resistere possent subito gravissima tempestate coorta militum vires recreatae sunt. Spe igitur victoriae redintegrata summa vi denuo in hostes irruerunt eosque plane devicerunt. Quam ob victoriam splendidissi-

perstitit, neque prius Sarmatici nomen accepit, quam compluribus proeliis Jazyges devicisset. Jazyges enim Sarmatarum nomine comprehenduntur. Quibus Conradii opinionem futilem fieri puto. Iisdem de causis Peteri sententia (geschichte Homs III. 2 p. 202) refellenda est.

[1]) Conradius nisus titulis illis, quos attuli, pugnam hieme anni 172 factam esse putat, quam sententiam equidem vix probaverim.

[2]) Eckhel VII. p. 61, v. App. I. 37.

[3]) Cum nummis ineuntis anni 174 legatur „Imperator VI" exeuntis autem „Imp. VII.", dubium esse non potest, quin hoc proelium medio anno 174 commissum esse; sic statuerunt Ranke, W. G. p. 342 ann. 1 Conrad p. 16, Dettmer p. 199; at Wietersheimius probavit (p. 126) annum 173, cum ad hanc victoriam a Romanis partam nummum quendam pertinere putat, in quo Mercurius conspicitur, cui sacrificatur. Cui tamen nummo inscriptum est: „Imperator VI". Qua de causa ad hanc victoriam spectare non potest, cum constet Marcum propter hanc victoriam „Imp. VII" appellatum esse.

[4]) Dio 71. 8. 2. *Κυκλωσάντων γὰρ αὐτοὺς τῶν Κουάδων ἐν τόποις ἐπιτηδείοις.*

mam [1]) milites Marcum septimum imperatorem [2]) salutaverunt, quem honorem imperator statim accepit, cum antea honorem tributum senatus probaret. Uxor eius Faustina, quae maritum in expeditionibus comitabatur, mater castrorum appellata est [3]). Quadi tanta clade affecti copiis valde minutis pacem cum Romanis facere statuerunt [4]). Quam ob rem legati ad Marcum,

[1]) Dio 71. 8—11; Zonaras XII. 2; Chron. Paschale p. 261; Orosius VII. 14; Tertullian. Apologet. c. 5. ad Scapulam c. 4; Eusebius, Chron. p. 172 sq. Ab omnibus rerum scriptoribus omnium consensu mira illa victoria tradita est, sed cum scriptores gentiles miraculum illud Jovi vel magio Aegyptio adscribant, christiani id precibus militum Christianorum in Romanorum exercitu militantium adiudicant. Atque adeo Xiphilinus (Dion. epit. c. 9) refert a Dione, qui auctorem miraculi magium Aegyptium tradidit, rem consilio falso memoriae proditam esse, cum ei non ignotum fuisset illam victoriam precibus legionis Christianorum partam esse, cui ea de causa nomen *κεραυνοβόλος*, i. e. Fulminatrix, datum esse. Cum Xiphilino consentit Zonaras XII. 2. Sed errat Xiphilinus, nam legioni illi, ut iam ostendit Baronius (ad a. 176) multis annis ante nomen Fulminatricis fuit, ut elucet ex compluribus titulis, cf. Wilm. 1154, v. App. II. 26, 27; cf. Dio 55, 23. Qua de causa Baronius narrationis Xiphilini probandae causa alteri legioni a priori diversae hoc nomen tributum esse contendit, dicens: Procul dubio ab hac diversa illa fuit, quae ob tam insigne miraculum meruit adeo nobilem gloriae titulum. Quam opinionem argumentis non probatam nimis audacem atque ex arbitrio factam esse, quis est, qui neget. Argumentis gravissimis ea, quae Xiphilinus tradidit, refutavit Fr. L. graf zu Stolberg, geschichte der religion Jesu vol. VIII, XVII p. 77 sqq. Quaeritur, quid de illo, quod fertur, miraculo iudicandum sit. Haud negaverim multa, quae de ea re tradita sint, falsa atque ficta existimanda esse; neque enim credibile est, ut suo iure Dettmerus p. 208 contendit, tempestatem illam Romanis solis profuisse, Quadis autem nocuisse; neque id verisimile est totam legionem duodecimam Christianos fuisse. De legione fulminatrice cf. quae exposuerunt Mosheim, commentarii rerum christianarum ante Constant. p. 247, 252; Pressensé, geschichte der drei ersten jahrhunderte der christlichen kirche, Lips. 1863, p. 116 sq.; Wieseler, christenverfolgung p. 20, 30 ann. 37; Arnold Braune, p. 69; Clinton, Fasti Rom. App. p. 23 sqq.; Ranke, weltgeschichte III p. 342. Sed utcunque res se habet, illo bello Romanos miro modo servatos esse statuendum est, nec non Christianos in exercitu Romano stipendia meruisse ac proelio illi adfuisse. cf. Dettmer p. 200.

[2]) Eckhel VII. p. 62, v App. I. 38.

[3]) Dio 71. 10. 5; V. M. XXVI. 8; Eckhel VII. p. 79, v. App. I. 39.

[4]) Dio 71. 11. 2. *Οἱ δὲ εἰρήνην αἰτούμενοι, ὥςπερ οἱ Κουάδοι καὶ ἔτυχόν γε αὐτῆς.*

qui in Pannonia aliquamdiu versabatur [1]) missi sunt, qui de pacis conditionibus cum eo agerent. Marcus, cui persuasum erat maximae utilitati sibi futurum esse, si gentem illam, terram inter Marcomannorum ac Iazygium fines sitam incolentem, ab ceteris nationibus distraheret, precibus petentium obsecutus pacem cum iis iniit conditionibbus, ut statim tredecim millia captivorum redderent, deinde omnes ac perfugas, quod illi se facturos esse polliciti sunt [2]), praeterea magnam multitudinem equorum boumque tradere iussi sunt. Sed, ut ad mercatum Romanum venirent, eis non permissum est, ne Marcomanni aut Iazyges, qui eis ab itinere per fines prohibendi erant, cum Quadis coniuncti res Romanas explorarent [5]).

Praeter Quados complures aliae gentes ac nationes [4]) ad Marcum legatos miserunt; aliae societatem foedusque promiserunt [5]) sperantes sibi Romanos domicilia daturos esse, aliae

[1]) Dio 71. 11. 1. *Ὅτι ὁ Μάρκος ἐν τῇ Παννονίᾳ κατέμεινεν, ἵνα καὶ ταῖς τῶν βαρβάρων πρεσβείαις χρηματίζῃ. Πολλοὶ γὰρ καὶ τότε πρὸς αὐτὸν ἦλθον.* Quae Dionis verba cum Dettmerus p. 206 minus intellexisset, maxime inepte scripsit: „Schon damals, (das weisst also auf eine frühere zeit, etwa 172 oder 173) sagt Dio, seien gesandschaften in grosser zahl zu ihm gekommen." Equidem haec verba ita interpreter: Etiam tunc i. e. Quadis devictis legati ad Marcum imperatorem venerunt. Iam prioribus annis a compluribus gentibus ad Marcum legatos pacis petendae causa venisse supra vidimus.

[2]) Dio 71. 11. 2.

[3]) Dio 71. 11. 3. *Οὐ μέντοι καὶ τῆς ἐπιμιξίας τῆς ἐν ταῖς ἀγοραῖς ἔτυχον, ἵνα μὴ καὶ οἱ Μαρκομάνοι οἵ τε Ἰάζυγες, οὓς οὔτε δέξεσθαι οὔτε διήσειν διὰ τῆς χώρας ὠμωμόκεσαν ἅμα μιγνύωνταί σφισι καὶ ὡς Κουάδοι καὶ αὐτοὶ ὄντες τά τε τῶν Ῥωμαίων κατασκέπτωνται καὶ τὰ ἐπιτήδεια ἀγοράζωσιν.* E quibus Dionis verbis Dettmerus conclusit, Marcum Quadis non permisisse, ut fora Marcomannorum et Jazygium adirent, cum iis ad mercatum Romanum venire licuisset. Sane, ut Dettmerus vere annotavit, haec Dionis verba obscura atque ambigua sunt. Mihi autem verisimilius esse videtur Quadis omnino interdictum esse, ne nundinas Romanorum obirent, idque, ni fallor, Dio significare voluit verbis: *Καὶ ὡς Κουάδοι καὶ αὐτοὶ ὄντες τά τε τῶν Ῥωμαίων κατασκέπτωνται καὶ τὰ ἐπιτήδεια ἀγοράζωσιν.* Nam si Marcus Quadis facultatem ad mercatum Romanum eundi dedisset, prohibere non potuisset, ne aliae gentes ad Quados se applicarent et res Romanas explorarent. At, si omnino Quadi venire vetiti erant, timendum non erat, ne Marcomanni aut Jazyges cum iis coniuncti in res Romanas inspicerent.

[4]) Dio 71. 11. 5; cf. Dettmer p. 207 sqq.

[5]) Dio 71. 11. 1.

obsequium pollicitae pacem petiverunt [1]), adversus quas Marcus summa prudentia usus prout utilitati populi Romani esse videbatur precibus eorum obsecutus est. Nonnullis, atque iis, quae belli minus participes fuisse videntur, statim sedes in Romanorum finibus [2]), in Dacia, Moesia, Pannonia, quae provinciae bello diuturno maxime vastatae ac desertae erant, datae tunt [3]). Quin etiam complures in Italiam ipsam traductae sunt, sed cum hae paulo post, ubi primum occasio data est, seditione commota Ravennam urbem expugnare cuperent, inde ab eo tempore imperator barbaris in Italia ipsa sedes non concessit [4]). Sed cum aliis domicilia, quae rogaverant, statim praestarentur, aliis ea demum, postquam a finitimis imminuti sunt, data sunt.

Nam Astingi cum principibus Rao Raptoque ducibus, postquam in Daciam venerunt atque a praefecto terram petiverunt, repulsam tulissent [5]), in fines Costobocum, qui paulo ante per Daciam, Moesiam, Pannoniam in Graeciam invaserant [6]), ibi autem fugati domum reverterant, irruerunt. Quos cum devicissent, ibi domicilia collocaverunt. Sed nihilo minus Daciam vexaverunt. Qua de causa Lacringi, cum timerent, ne in suos quoque fines invaderent, Romanis auctoribus Astingos imprudentes incautosque subito oppresserunt ac deleverunt [7]). Astingi tanta clade affecti a Marco auxilium petiverunt et, postquam polliciti sunt se fidem atque obsequium servaturos esse belloque adversus hostes Romanos adiuturos esse, pecuniam ac sedes acceperunt [8]).

Eadem Cotini promiserunt et Marcus verbis eorum confisus ducem eis dedit Taruntenium Paternum, qui cum iis bellum contra Marcomannos gereret [9]). Sed Cotini ita ea, quae polliciti erant, non servaverunt, ut maxime perfidos adversus ducem

[1]) Dio 71. 11. 2.
[2]) V. M. XXIV. 3.
[3]) Dio 71. 11. 4.
[4]) Dio 71. 11. 5.
[5]) Dio 71. 12. 1.
[6]) Pausanias X. 34.
[7]) Dio 71. 12. 2.
[8]) Dio 71. 12. 3.
[9]) Dio l. c.

se praeberent. Quam perfidiam imperator, ut ulcisceretur, haud multo post omnino eos exstinxit [1]).

Praeterea magnus numerus captivorum ac perfugarum, qui aut domum redire nolebant aut non poterant, in exercitu Romano stipendia fecerunt atque praesidio provinciarum tributi sunt [2]).

Omnes autem hae gentes conditionibus maxime diversis receptae sunt. Eae, quae fidelissimas erga Romanos se praestabant, civitate Romana donatae sunt, aliis immunitas vectigalium data est, aliae atque eae, quae in provinciis bello vastatis habitabant, frumento et pecunia adiutae sunt [3]).

Exemplum ceterarum gentium secuti Jazyges quoque legatos miserunt, at pax petita iis denegata est [4]); Marcus enim gentem illam, quae populum Romanum tot tantisque malis affecerat, omnino delere statuerat. Sed priusquam ad bellum contra eos proficisceretur, seditio Quadorum opprimenda erat. Hi enim non solum ea, quae promiserant, non praestiterunt [5]), sed etiam, postquam regem suum Furtium [6]), a Romanis impositum, depulerunt, suo arbitratu Ariogaesum a Romanis non sancitum regem creaverunt [7]). Cuius perfidiae infidelitatisque puniendae causa imperator novam expeditionem constituit. Quadi autem simulatque de illa expeditione certiores facti sunt, perterriti denuo per legatos pacem oraverunt. Marcus autem ira incensus infidelitate eorum initio condiciones pacis aspernatus est [8]), quamquam quinquaginta millia captivorum se traditurus esse illi polliciti sunt. Sed cum paulo post rex ille Ariogaesus a Quadis traditus esset [9]), imperator precibus eorum obsecutus

[1]) Dio l. c.

[2]) Dio 71. 11. 4. *Καὶ αὐτῶν οἱ μὲν ἐστρατεύσαντο ἄλλοσε τοῦ πεμφθέντες, ὥςπερ καὶ τῶν ἁλισκομένων τῶν τε αὐτομολούντων οἱ δυνάμενοι.* Dettmerus p. 207 opinatus est captivos ac perfugas in Hispaniam ad Mauros depellendos missos esse. Atque, ut puto, suo iure. Constat enim illo tempore Mauros in Hispaniam invasisse et omnia vestavisse. (cf. V. M. XXI. 1; XXII. 11.) Sed a legatis Romanis re bene gesta otium ab Mauris fuit.

[3]) Dio 71. 19. 1. — [4]) Dio 71. 13. 1.

[5]) Dio 71. 13. 2. — [6]) Dio 71. 13. 3.

[7]) Dio l. c. — [8]) Dio 71. 13. 4.

[9]) Dio l. c.

bello destitisse videtur [1]), praesertim cum sibi proposuisset Jazyges omnino dicionis Romanae facere. Ne autem tam facile denuo seditio a Quadis oriretur, complura oppida munita in finibus eorum condita sunt, in quibus decem millia militum collocabantur [2]), qui Quados prohiberent, ne invasiones in provincias Romanas facerent.

Eodem ipso tempore Marcus etiam Marcomannis legatis missis levationem durarum pacis conditionum fecit. Marcomanni enim, quibuscum anno 173 pax inita erat, initio, ne Romanis optemperarent, recusaverunt et gravissimas molestissimasque pacis conditiones sibi impositas aegerrime ferentes denuo fines Romanorum vexaturi fuerant. Ceteris autem gentibus, quibuscum coniuncti fuerant, victis pacatisque se solos Romanis pares non futuros esse rati invasionibus destiterunt et Marci voluntati obsecuti, quae facere iussi erant, qamvis inviti praestiterunt [3]). Itaque haud multo post imperator petentibus permisit, ut obsides reciperent; et cum antea septuaginta duo stadia a Danubio flumine habitare coacti essent, dimidiam partem terrae colendam et conserendam tunc concessit [4]). Sed loca, quibus statis

[1]) Nimis audax est ac cogitatione comprehendi non potest, quod Schillerus p. 649 dicit: Die Quaden verbündeten sich mit Marcomannen und Jazygen, waren aber im Marchfeld besiegt. Argumenta sententiae suae confirmandae vir doctus non attulit. Sed haec opinio ordini ac rationi rerum repugnat. Comperimus enim Quados appropinquante Romanorum exercitu legatos misisse, et cum antea tredecim millia captivorum se tradere velle promisissent, tunc quinquaginta millia reddere parati erant. Sed id pro certo sumendum est Quados, si coniuncti fuissent cum Marcomannis Jazygibusque, belli fortunam tentaturos fuisse. De ea re nihil notum est. Praeterea Marcomannos cum Quadis consilia non iunxisse elucet, ni fallor, verbis Dionis. Dicit enim Marcomannos illo tempore ad Marcum legatos misisse, qui levationem gravium pacis conditionum orarent. Et cum Marcomanni officia sua exsecuti essent, Marcus ea, quae petiverant, concessit. cf. Dio 71. 15. Haec quoque Dionis verba momenti esse videntur: *Οἱ γὰρ Κουάδοι οὐχ ὅτι ἐκείνοις τότε συνεμάχησαν, ἀλλὰ καὶ τοὺς Μαρκομάνους πρότερον, ὡς ἔτι ἐπολέμουν, καταφεύγοντας ἐς τὴν σφετέραν ὅτε βιασθεῖεν ἐδέχοντο.* Quibus verbis effici potest Marcomannos ac Jazyges tunc cum Quadis non coniunctos fuisse. Denique non praetermittenda sunt verba Dionis: *Καταλλαγέντος αὐτοῦ τοῖς Κουάδοις.* Quae verba significant proelio non commisso pacem cum iis restitutam esse.

[2]) Dio 71. 20. 1.

[3]) Dio 71. 15.

[4]) Dio 71, l. c.

piebus mercatum habere Marcomannis licebat, constituit, cum antea de ea re nihil praescriptum esset. Castella in finibus eorum item ac Quadorum instituebantur.

Sic Quadis Marcomannisque pacatis Marcus ad Jazyges, quibus pax negata erat, bello persequendos contendit. Nam hanc gentem ferocissimam ac bellicosissimam occidione caedere[1]) terramque eorum in provinciae formam redigere constituerat. De singulis rebus gestis nihil certi constat, sed ex verbis Dionis concludere licet Romanos Jazygibus multas clades atque magna incommoda intulisse[2]). Quibus illi fracti denuo legatos, quibus praeerat rex Zanticus, pacem petituros miserunt[3]), quae eis tandem concessa est: sed multo graviores pacis condiciones eis impositae sunt, quam Quadis Marcomannisque. Nam cum hi septuaginta duo stadia terrae ad Danubium sitae vasta inculta-que relinquere iussi essent, Jazygibus duplex pars terrae relinquenda erat[4]). Praeterea octo millia equitum tradere coacti sunt, quorum quinque millia et quingenti in Britanniam, ubi seditio orta erat[5]), missi sunt[6]).

Re igitur bene gesta Jazygibusque subactis Marcus Sarmatici nomen accepit atque octavum imperator renuntiatus est[7]). Paulo post Jazyges sortem suam molestissime ferentes per legatos levationem petiverunt, et cum omnia, quae imperator iusserat, diligentissime fecissent fortesque se praestitissent ac Romanis magnae utilitati essent[8]), precibus

[1]) Dio 71. 16. 2: *Ὁ γὰρ αὐτοκράτωρ ἤθελε μὲν αὐτοὺς καὶ παντάπασιν ἐκκόψαι.*

[2]) Dio 71. 16. 1.

[3]) Dio l. c.

[4]) Dio l. c.

[5]) V. M. XXII. 1: Imminebat et Britannicum bellum.

[6]) Dio 71. 16. 2.

[7]) Eckhel VII. p. 62, v. App. I. 40. Sane a rerum scriptoribus non traditur, quae causa nominis „Imp. VIII." fuerit; verisimile autem est Marco illum honorem ob praeclaras contra Jazyges res gestas tributum esse. Errat, ut recte Eckhelius p. 75 contendit, Tillemontius (II.[3] p. 984, 987. not XVII et XX) putans scribendum esse „Imp. VII." Pagius crit. in Bar. ad an. 177 opinatur Marcum nomen Imp. VIII. adeptum esse propter oppressam Avidii Cassii seditionem. Quam sententiam falsam esse quivis mihi concedet.

[8]) Recte Dettmerus p. 211 opinatur Jazyges in Britannia foederatos fortissimos se praestitisse.

eorum indulsit. Propterea Jazygibus permisit, ut commercium cum Roxolanis per Daciam provinciam praefecti Daciae permissu haberent, navibus autem uti aut insulas ad Danubium sitas adire vetiti sunt. Praeterea iis complures alias graves condiciones remisit[1]), quo factum est, ut Jazyges in aliquod tempus fideles erga Romanos se praeberent.

At pax cum Quadis Marcomannisque inita non diuturna fuit. Qui brevi tempore interiecto cum maxime indignati essent, quod in terra sua Romani castella instituissent, per legatos ad Marcum missos conquesti sunt, quod sibi a militibus Romanis summae iniuriae molestiaeque inferrentur[2]). Atque Quadi his vexationibus ita infensi et exacerbati erant, ut in Semnonum fines demigraturi essent[3]). Initio autem turbae illarum gentium minus valuisse videntur; qua de causa Marcus, postquam Quintilios fratres in illis regionibus reliquit[4]), Romam proficisci statuit[5]). Sed proficiscens[6]) a Vero, Cappadociae praefecto, de Avidii Cassii in Syria rebellione certior factus est.

[1]) Dio 71, 19. 2.

[2]) Dio 71. 20. 1.

[3]) Dio 71. 20. 2.

[4]) Dio 71. 33. 11.

[5]) Eckhel VII. p. 62, v. App. I. 41. Quo nummo apertum fit Marcum hoc anno Romam profecturum fuisse.

[6]) Dio 71. 17 affert Marcum perturbatum Avidii Cassii seditione invitum cum Jazygibus pacem iniisse. Sed repugnant quae aliter de ea re tradita sunt. Supra vidimus Marcum Jazygibus initio multo iniquiores gravioresque pacis conditiones imposuisse, quam ceteris gentibus. Sed si repentina seditione commotus pacem inire coactus esset, non dubium esse potest, quin eis easdem saltem conditiones praebiturus fuerit ac Marcomannis Quadisque. Nam persuasum habere debebat Jazyges, qui etiam tunc multum valebant (Dio 71. 16. 2: *Ὅτι γὰρ τότε ἔτι ἐρρωντο*) denuo rebellaturos fuisse. Haec omnia si computaveris, intelleges a Dione rem non recte memoriae proditam esse. Qua de causa non probanda est Nappii sententia dicentis (p. 44): „Atque tam raptim conciliatam esse pacem cum illis (Jazygibus), ut senatus non antea consuleretur, quod alias fieri solebat." Eadem de causa Wietersheimio p. 127 sq., Conradio p. 18. Schillero p. 650 non assentiar.

Caput VIII.

Quo modo Avidii Cassii rebellio sit oppressa quasque res Marcus post rebellionem gesserit.

Avidius Cassius, natione Syrius [1]), cuius pater fuit C. Avidius Heliodorus [2]), bello Parthico tertiae [3]) legioni praepositus virum probum atque strenuum se praebuit omniumque ducum maxime enituit. Magnis laudibus a rerum scriptoribus effertur, quod milites libidinibus luxuriaeque deditos obsequio officioque assuefecit [4]). Sane saepenumero summa crudelitate adversus milites usus est [5]), sed nihilo minus apud eos in magno honore fuit [6]). Quo duce res praeclarissime gestas captamque ab eo Seleuciam esse constat, qua re discrimen belli adductum est. Bello Parthico confecto Avidius Cassius praefectus Syriae factus est, quam provinciam per complures annos obtinuit [7]). Sed iam paulo post ei propter magna in civitatem Romanam merita tota Asia administranda a Marco data est [8]). Ita singulare quoddam atque tantum imperium adeptus [9]) est, quantum pauci ante eum

[1]) Dio 71. 22. 2.

[2]) Cap. V. Avid. Cas. I. 1 dicit patrem fuisse Avidium Severum, sed optimo iure Nappius p. 58 sq. contendit ea, quae Capitolinus tradiderit, falsa esse.

[3]) Lucian, quom. hist. sit concer. §. 31.

[4]) V. Avid. Cas. V. 4. sq.; VI. 1. sq.

[5]) V. Avid. Cas. IV. 5.

[6]) V. Avid. Cas. VI. 5.

[7]) Cf. Waddington, Compt. rend. de l'acad. des inscr. et belles-lettres tom. IX. Paris 1865, p. 121. Waddingtonius ostendit Avidium Cassium per annos 169, 170, 171 Syriam obtinuisse. cf. Wad. (Collectio inscriptionum, quam libris Lebasii de itinere in Graeciam Asiamque minorem facto addidit) s. n. 2212. 2237. 2438. 2525, v. App. II. 28, 29, 30, 31.

[8]) Dio 71. 3. 1. *Τὸν μέντοι Κάσσιον ὁ Μάρκος τῆς Ἀσίας ἁπάσης ἐπιτροπεύειν ἐκέλευσεν.* Noël d. V. Essai p. 78 ann., Tillemont II [2] s. n. XVIII. (p. 632) putant *Ἀσίαν* idem valere atque orientem et totam illam plagam esse intellegendam, quae inter Euphratem, Taurum, Aegyptum interiacet.

[9]) Marquardt, Roem. staatsverw. I. p. 263 contendit Avidium Cassium similem gradum obtinuisse, quem Agrippa a. Chr. n. inde ab anno 23 usque ad annum 13, Germanicus a. 17. p. Chr. obtinuerunt.

obtinuerant. Postea iterum praeclarissimas res in Aegypto [1]), Arabia, Armenia gessit [2]). Tantis igitur copiis opibusque confisus imperatorem se in oriente appellavit [3]) falso rumore de Marci imperatoris morte edito [4]). Brevi tempore omnes

[1]) Dio 71. 4, 2—4.

[2]) V. Avid. Cas. VI. 5.

[3]) V. Avid. Cas. VII. sq; V. M. XXIV. 6; Dio 71. 22. 2. sq.; Eutrop. VIII. 12; Oros. VII. 15.

[4]) Dio 71. 23. 1: *Ταῦτ' οὖν αὐτῷ διανοουμένῳ ἀγγελία ἦλθε τὸν Μάρκον τεθνηκέναι.* Dio accusat Faustinam, quod seditionis illius conscia fuerit, cum dicit 71. 22. 3: *Τοῦτο δὲ δὴ δεινῶς ἥμαρτεν ὑπὸ Φαυστίνης ἀπαιτηθείς· αὕτη γὰρ τὸν ἄνδρα ἀρρωστήσαντα . . . προσδοκήσασα ὅσον οὐκ ἤδη τελευτήσειν, ἐμοιχᾶτο μὴ τῆς ἀρχῆς ἐς ἄλλον τινά, ἅτε τοῦ Κομμόδου καὶ νέου καὶ ἁπλουστέρου τοὺς τρόπους ὄντος, περιελθούσης ἰδιωτεύσῃ καὶ ἔπεισε τὸν Κάσσιον, δι' ἀπορρήτων παρασκευάσασθαι ἵν', ἄν τι ὁ Ἀντωνῖνος πάθῃ, καὶ αὐτὴν καὶ τὴν αὐταρχίαν λάβῃ.* Quae Dionis verba maxime me offenderunt. Nam quod Dio narrat Faustinam propter aegritudinem mariti et iuventutem Commodi filii, ne imperium ad alium transiret ipsaque a negotiis publicis removeretur, timuisse omnino non probabilia esse videntur, quippe quae persuasum habere deberet, se liberosque suos Avidio Cassio rerum potito, praesertim cum ei filius adultus esset, qui eum patre conspiraverat (cf. V. M. XVI. 11; V. Avid. Cas. IX. 1; XIII. 6) imperium amissuros esse. Praeterea Marcum illo tempore infirma atque aegra valetudine fuisse, ut expectandum esset eum brevi e vita excessurum esse, neque notum neque verisimile est. Neque hoc loco omittendum est Dionem infenso animo adversum Faustinam fuisse, ut elucet ex iis, quae aliis locis de ea narrat. Idem enim rumorem tradidit Faustinam voluntariam mortem sibi conscivisse (Dio 71. 29 1), cui maxime contraria sunt, quae aliunde de ea re comperta habemus.

Jam videamus, quae ceteri rerum scriptores de Faustinae Cassii seditionis conscientia memoriae prodiderint. Vulcatius Gallicanus in vita Avidii Cassii VII. 1 haec narrat: „Hic imperatorem se in oriente apellavit, ut quidam dicunt, Faustina volente, quae valetudini Marci iam diffidebat et timebat, ne infantes filios tueri sola non posset, atque aliquis existeret, qui capta statione regia infantes de medio tolleret". At, nonne timendum erat, ne Cassius rerum potitus idem facturus esset?

L. c. XI. 1. Vulcatius haec tradidit: Ex his litteris intellegitur Cassio Faustinam consciam non fuisse.

Capitolinus V. M. XXIV. 6. memoriae prodidit: „. . . . nisi Avidius Cassius rebelasset sub eodem in oriente atque imperatorem se appellasset, ut quidam dicunt, Faustina volente, quae de mariti valetudine desperaret." Capitolinus igitur, quem Faustinae indulsisse nemo est, qui putet, conscientiam Faustinae rumorem tantum designat, immo vero Vulcatius Gallicanus verbis expressis dicit Faustinam Cassii seditionis consciam non fuisse. Neque mi-

gentes cis Taurum sitas dicionis suae fecit. Praecipue Cassio praesidio fuerunt incolae Antiochiae, qui eum maxime adama-

noris momenti Faustinae innocentiae sunt epistulae illae, quas de Cassii motu Marcum et Faustinam scripsisse ac rescripsisse narrat Vulcatius. cf. V. Avid. Cas. IX. sq. ubi haec legimus: „Verus mihi de Avidio verum scripserat, quod cuperet imperare. Audisse enim te arbitror, quod Veri statores de eo nuntiarent. Veni igitur in Albanum, ut tractemus omnia, dis volentibus, nil timens." Marco respondit Faustina: „Ipsa in Albanum cras, ut iubes, mox veniam: tamen iam hortor, ut, si amas liberos tuos, istas rebelliones acerrime persequaris." In alia epistula haec scripsit Faustina ad Marcum (l. c.): „Mater mea Faustina patrem tuum Pium in defectione Celsi cohortata est, ut pietatem primum circa suos servaret, sic circa alienos. Non enim pius est imperator, qui non cogitat uxorem et filios. Commodus noster vides in qua aetate sit, Pompeianus gener et senior est et peregrinus. Vide quid agas de Avidio Cassio et de eius consciis. Noli parcere hominibus, qui tibi non pepercerunt et nec mihi nec filiis nostris parcerent, si vicissent . . ." Quae quidem epistulae a compluribus viris doctis subditicae et commenticiae declaratae sunt. Sic statuerunt Tillemontius not. XIX. ad M. Aurel. vol. II.[3] p. 985; Czwalina. De epistularum actorumque, quae a scriptoribus historiae Augustae proferuntur fide atque auctoritate, diss. Bonn 1878 p. 26 ann.; Borghesius V. 425 sq.; Nappius p. 57. Sed mihi argumentis a viris illis doctissimis allatis persuaderi non potuit. Gravissimum ac firmissimum argumentum, quo commoti epistulas illas subditicias esse putaverunt, errores multos in iis inventos statuerunt. Ita Tillemontius II.[3] n. XIX. p. 985 et Nappius p. 44 et 57 argumentum sententiae suae afferunt, quod in epistulis tradatur. Marcum prope Romam de Cassii rebellione certiorem factum esse, cum a Dione commemoretur ad Marcum bellantem cum Jazygibus in Pannonia famam de illius seditione pervenisse. Supra autem vidimus, ut ex nummo illo, cui inscriptum est: Fort. Red. TR P. XXIX Imp. VIII. Cos. III. (Eckhel VII. p. 62) elucet, Marcum re vera Romam profecturum fuisse et rem a Dione non recte memoriae proditam esse. Concedo in epistulis complures errores inveniri, sed eo, mea quidem sententia, non effici potest epistulas illas omnino subditicias esse, praesertim cum a scriptoribus historiae Augustae res maxime neglegenter ac leviter sit narrata, multisque aliis locis permultos ac maximos errores inveniri (cf. quae exposui de adoptione M. Aurelii), quicunque libros eorum legerit, intelleget.

Quae cum ita sint cum Waddingtonio (Compt. rend. de l'acad. des inscr. et bel. let.) tom. IX. p. 121, Renanio (Mélanges d'histoire et de voyages p. 186 sq., Paris 1878) epistulas genuinas ac sinceras esse pro certo habuerim. Quod cum statuerimus, nostro iure contendere possumus Faustinam cum Avidio Cassio consilia non communicavisse, ut epistulis apparet (cf. V. Av. Cas. IX. sq.). Quod Nappius p. 47 affert ex iis, quae aliunde de Faustina eiusque moribus tradita sint, elucere illam re vera cum Cassio consilia communicavisse, nullius momenti est.

verant [1]). Praeter hos cum Cassio conspiraverunt Flavius Calvisius, Aegypti praefectus[2]), et Maecianus, cui Alexandria commissa erat [3]).

Simulatque Marcus de rebus in oriente gestis certior factus est, Commodo filio Roma arcessito, cui tunc togam virilem dedit[4]), iter contra concitatorem seditionis paravit. Sed dum belli apparatum instruit, comperit Cassium iam a centurione quodam necatum esse [5]); quo nuntio Marcus ita non gavisus est, ut maxime doleret [6]), sibi occasionem Cassio veniam impunitatemque dandi ereptam esse.

Ita Avidio Cassio, qui tres menses atque sex dies imperium habuit, [7]) occiso pax in oriente restituta est. Sed nihilo minus

[1]) V. Avid. Cas. VI. 6; IV. 1; V. M. XXV. 8.

[2]) Dio 71. 28. 3.

[3]) V. M. XXV. 4: „Maecianum etiam, filium Cassii, cui Alexandria erat commissa, exercitus occidit". Mommsenus, Acta soc. Saxon. hist. phil. II. p. 283 legi vult pro voce „filium" „fautorem" Cassii. Vulc. Gallic. V. Avid. Cassii VII. 4 haec tradidit: Qui et ipse occisus est Antonino invito ab exercitu, qui et Maecianum, cui erat commissa Alexandria quique consenserat spe participatus Cassio, invito atque ignorante Antonino interemit. Mommsenus, Roem. staatsrecht II.[1] p, 1032 ann. 4 opinatur Avidium Cassium Maecianum praefectum praetorio fecisse. Quam sententiam repugnans Dirksen: Die scriptores historiae Augustae Lips. 1842 p. 110 sq., vult Maecianum iuridicum Alexandriae fuisse, cui assentitur Hirschfeldius, Roem. verwaltungsgeschichte 1. p. 227. Equidem secutus Tillemontium hist. II.[3] p. 985 not. XVIII. rem a Capitolino recte narratam esse puto, praesertim cum Dio 71, 27. 3 afferat filium Cassii interfectum esse. (*Καὶ ὁ υἱὸς αὐτοῦ ἐτέρωθε ὧν ἐφονεύθη.*) Quae verba optime cum Capitolini quadrant. Alii Cassii filio, nomine Heliodori, a Marco impunitas data est, ut Capitolinus narrat V. M. XXVI. 11.

[4]) V. M. XXII. 12: Indutus autem toga est Nonarum Juliarum die . . . et eo tempore, quo Cassius a Marco descivit. (cf. V. Commodi II. 2.

[5]) Dio 71. 27. 2.

[6]) V. Avid. Cas. VIII. 1; Dio 71. 28. 1.

[7]) Dio 71. 27. 3: *Καὶ ὁ μὲν οὕτω μῆνάς τε τρεῖς καὶ ἡμέρας ἓξ τὴν ἀρχὴν ὀνειρώξας ἐσφάγη.* Annus, quo Cassius a Marco desciverit, a rerum scriptoribus non commemoratur. Plurimi probaverunt annum 175, cf. Ranke, W. G. III. p. 344; Schiller, p. 659; Merivale, IV. p. 534; Napp, p. 49; Swoboda, p. 22. Dettmerus probat annum 176; Waddingtonius, Compt. rend. p. 121 defendit annum 172. Sed Waddingtonii sententiam Nappius p. 42 gravibus argumentis refellit et ostendit autumno anni 175 seditionem oppressam esse.

imperator cum Faustina uxore et Commodo filio [1]) iter in orientem ingresus est, [2]) praecipueque eas provincias adiit, quae seditionis participes fuerant, ut ad ordinem atque officium revocaret. Adversus omnes autem summa clementia ac benignitate usus est [3]) omnibusque ignovit, qua re brevi tempore omnium amorem sibi paravit. [4]) Reges orientales legatique Persarum ei occurrentes pacem confirmaverunt. [5]) Cum Marcus in Syria esset, liberi Cassii ad eum deportati sunt, quibus non solum pepercit, sed quos etiam summis honoribus affecit. [6]) Postquam Syriam visitavit, in Aegyptum se contulit, quam provinciam ad Cassium defecisse supra commemoravi. Aegyptiis quoque indulsit, praefectum solum Calvisium Tullum, qui rebellionem consitaverat, in insulam quandam relegavit. [7])

Quo modo rebus in oriente compositis, Marcus Romam redire statuit. [8]) In reditu autem Faustina uxor sub Tauri radicibus in vico Halalae morte subita erepta est, [9]) qua re imperator maxime afflictus est. [10]) Uxori mortuae auream dedicavit statuam aedemque condendam curavit, [11]) nec quidquam, quod ad eius honorem pertineret, praetermisit. Senatus ad Marci voluntatem Faustinam divam appellavit [12]) et decrevit, ut in vico illo, in quo Faustina diem supremum obierat, aedes in uxoris defunctae honorem aedificaretur. [13])

---

[1]) V. Com. II. 3.

[2]) Dio 71. 28.

[3]) V. M. XXV. 8.

[4]) V. M. XXVI. 2.

[5]) V. M. XXVI. 1.

[6]) V. M. XXVI. 12.

[7]) Dio 71. 28. 3. Marcum maxime clementem se praebuisse ostendunt nummi cf. Eckhel VII. p. 63, v. App. I. 42.

[8]) Eckhel VII. p. 63, v. App. I. 43.

[9]) V. M. XXVI. 4.

[10]) Dio 71. 30. 1.

[11]) V. M. XXVI. 5.

[12]) Eckhel VII. p. 81, v. App. I. 44.

[13]) V. M. XXVI, 6, 9; Dio 71. 31. 1. 2: *Τῷ δὲ Μάρκῳ καὶ τῇ Φαυστίνῃ ἐψηφίσατο ἡ βουλὴ ἔν τε τῷ Ἀφροδισίῳ τῷ τε Ῥωμαίῳ εἰκόνας ἀργυρᾶς ἀνατεθῆναι καὶ βωμὸν ἱδρυθῆναι, καὶ ἐπ' αὐτοῦ πάσας τὰς κόρας τὰς ἐν τῷ ἄστει γαμουμένας μετὰ τῶν νεμφίων θέειν.* Quae ad Dionis verba refert Eckhelius VII. p. 81, nummum, cui inscribitur: Diva Faustina. Pia Aeternitas. S. C. Faustina sedens d. sceptrum inter duas mulieres gradientes et velum per caput sinuantes.

Priusquam autem Marcus Romam reverteretur, Athenas petivit [1]) incolasque magnis honoribus ornavit. Qua in urbe pro magno litterarum studio suo celeberrimae orbis terrarum academiae publicos optimarum artium doctores praefecit atque primus constituit, ut iis publice annua pecunia daretur. [2]) Qua re Atheniensibus maxime gratum se praebuit.

Athenis aliquamdiu commoratus imperator iter in Italiam continuavit et gravissimam tempestatem passus [3]) nave Brundusium appulsa [4]) in Italiam egressus est. Romam redux cum filio suo exeunte anno 176 de populis subactis splendidissimum triumphum egit. [5]) Commodus, quem pater iam anno 175 consulem designaverat, [6]) et venia legis annalis impetrata in annum insequentem consulem fecerat [7]), a senatu imperatoris titulo ornatus est [8]). Praeterea filium suum tribunicia potestate donavit, [9]) populo congiarium dedit, [10]) spectacula magnificentissima instituit.

Anno 177 Marcus Romae fuit ibique, ut Capitolinus narrat, multa civilia correxit. De consiliis autem pro tempore et pro re a Marco captis nihil fere memoriae proditum est neque plura de rebus domesticis eius constant.

---

[1]) Dio 71. 31, 1; V. M. XXVII. 1.

[2]) Dio l. c.

[3]) V. M. XXVII. 2; Eckhel VII. 64, v. App. I. 45.

[4]) V. M. XXVII. 3.

[5]) Lamprid. V. Com. II. 4; XII. 5; Eckhel VII. p. 64, 106. v. App. I. 46. 47; C. J. L, VI. 1014, v. App. II. 32.

[6]) V. M. XXII. 12; Eckhel VII. p. 104, v. App. I. 48.

[7]) V. Com. II. 4. cf. App. I. 47.

[8]) V. Comm. II. 4.

[9]) V. M. XXVII. 5; Eckhel VII. p. 106. cf. App. I. 47; cf. Mommsen Roem. staatsr. II. 777. ann. 3.

[10]) V. M. XXVI. 5; Dio 71. 32. 1.

Eodem anno gravissimas christianorum vexationes institutas esse contendunt Swoboda [1]) et Neumannius. [2]) Neque negari potest Marco Aurelio imperatore, quem virum maxime indulgentem ac clementem adversus hostes sibi maxime infensos cognovimus, vexationes christianorum multo graviores fuisse, quam Hadriano et Antonino Pio imperatoribus, [3]) innumerabilesque homines summis cruciatibus affectos esse.

Sed otium ab hostibus non diuturnum fuit; nam iam paulo post Cassii rebellionem oppressam Marcus denuo coactus est novam expeditionem contra barbaros facere. Ut supra dixi, imperator, priusquam in orientem proficisceretur, Quintilios provinciis ad Danubium sitis praefecerat, ut fines Romanos ab invasionibus tuerentur. Simulatque autem hostes de Avidii Cassii tumultu certiores facti sunt, denuo Romanos vexavisse videntur. Narrat enim Dio Marco contra Cassium proficiscenti complures victorias a Romanorum ducibus de hostibus reportatas nuntiatas esse. [4]) Seditione Cassii oppressa Marcus Helvium Pertinacem in regiones illas misit; initio Romanos rem bene gessisse verisimile est. [5]) Sed cum duces impetui barbarorum in futurum resistere non possent, [6]) Marcus ipse cum filio suo Commodo, cui Bruttii filiam in matrimonium dederat, [7]) medio anno 178 contra hostes profectus est. [8]) Anno insequenti, postquam Taruntenius Paternus, qui legionibus praeerat, hostes

[1]) Swoboda p. 23.

[2]) Neumann, Der roemische staat und die allgemeine kirche bis auf Diocletian, Lips. 1890, p. 28.

[3]) De christianorum vexationibus Marco imperante cf. Pressensé p. 116 sqq.; Wieseler, christenverfolgung p. 20 sqq.; Tillemont, Memoires pour servir à l'histoire ecclesiastique tom. second. p. 255 sqq.

[4]) Dio 71. 27. 2: *Παρασκευαζομένῳ δὲ Μάρκῳ πρὸς τὸν ἐμφύλιον πόλεμον ἄλλαι τε πολλαὶ κατὰ διαφόρων βαρβάρων . . . ἀπηγγέλθη.*

[5]) Duces rem bene gessisse elucet ex nummis, in quibus Marcus Imp. IX. propter Romanorum progressus appellatur; cf. Eckhel VII. p. 64, v. App. I. 49.

[6]) Dio 33. 1: *Οἱ γὰρ Κυιντίλιοι οὐκ ἠδυνήθησαν, καίπερ δύο τε ὄντες καὶ φρόνημα καὶ ἀνδρείαν ἐμπειρίαν τε πολλὴν ἔχοντες, τὸν πόλεμον παῦσαι.*

[7]) V. M. 27. 8; Eckhel VII. p. 64, v. App. I. 50.

[8]) Dio 31. 1: *Καὶ διὰ τοῦτ' ἀναγκαίως αὐτοὶ οἱ αὐτοκράτορες ἐξεστράτευσαν.*

vehementissime resistentes acerrimo proelio vicit, [1]) Marcus decimum a legionibus imperatoris nomine ornatus est. [2]) Hostes tanta clade affecti denuo subacti sunt: sed iam paulo post imperator Marcus, priusquam bellum omnino finitum esset, Vindobonae a. d. XVII. Kal. April. a. 180 subita morte abreptus est [3]). Filius Commodus, quem belli taederet, brevi tempore cum gentibus diversis pacem iniquam ac turpem iniit.

[1]) Dio 71. 33. 3: *Καὶ τῷ Πατέρνῳ δυοῖν χεῖρα μεγάλην ἔπεμψεν αὐτὸν ἐς τὸν τῆς μάχης ἀγῶνα· καὶ οἱ βάρβαροι ἀντέτειναν μὲν διὰ τῆς ἡμέρας ἁπάσης, κατεκόπησαν δὲ ὑπὸ τῶν Ῥωμαίων πάντες· καὶ ὁ Μάρκος τὸ δέκατον αὐτοκράτωρ προσηγορεύθη.*

[2]) Eckhel VII. p. 65, v. App. I. 51; Dio 71. 33. 3.

[3]) Dio 71. 33. 4 . . . . *τῇ ἑπταικαιδεκάτῃ τοῦ Μαρτίου μετήλλαξεν*; Zonaras XII. 3. p. 531; V. M. XXVIII. 5. sq.; Tertull. Apologet. tom. V. c. 25. p. 72; Eckhel VII. p. 67.

Appendix I.

Nummi ad vitam resque gestas imperatoris M. Aurelii spectantes.

1. Eckhel VII. p. 44.

Aurelius. Caesar. Aug. Pii F. Cos. Des.
(Caput nudum) Antoninus. Aug. Pius P. P.

2. VII. p. 44.

Aurelius. Caesar. Aug. Pii F. Cos.
Caput nudum
Antoninus. Aug. Pius. P. P. TR. P. Cos. III.

3. VII. p. 46.

Aurelius. Caesar. Aug. Pii. F. Cos. II.
Iuventus S. C. vel virtus. Cos. II.

4. p. 46.

Aurelius. Caesar. Aug. Pii. F. Cos. II.
(vota publica. Aurelius et Faustina iungunt dexteras intermedia alia figura muliebri.)

5. p. 48.

Imp. Caes. M. Aurel. Antoninus. Aug.
Concordia. August. TR. P. XV. Cos. III.
(Aurelius et Verus togati stantes iungunt dexteras.)

6. p. 89.

Imp. Caes. L. Aurel. Verus.
vel Imp. L. Aurel. Verus. Aug. Cos. II.
Concordia Augustor.

7. p. 49.

Imp. Caes. M. Aurel. Antoninus Aug. P. M.
Lib. Augustorum. TR. P. XV. Cos. III. S. C.
(Duo imperatores togati sedentes in suggestu adstante Liberalitate et alia figura infra stante, quae sinum aperit.

8. p. 89.

Imp. Caes. L. Aurel. Verus. Lib. Augustor.

9. p. 90.

Imp. Caes. L. Aurel. Verus. Aug.
Profectio Aug. TR. P. III. Cos. II. S. C.
(Imperator eques d. hastam. In aliis praecedit figura militaris, tribus sequentibus.)

10. p. 50.

M. Antoninus. Aug. Armeniacus. P. M. TR. P. XVIII.
Imp. II. Cos. III.
(Armenia moesta humi sedens) vel M. Aurel. Antoninus. Aug. Vict. Aug. TR. P. XVIII. Imp. II. Cos. III. S. C.
(Victoria gradiens cum tropaeo, ante cuius pedes Armenia moesta sedens).

11. p. 90.

L. Verus. Aug. Armeniacus TR. P. III.
Imp. II. Cos. II. (Armenia humi sedens inter arma patria d. caput fulcit, s. navis prorae imposita). Eckhelius annotat nave significari victoriam navalem de Armeniis in Euphrate flumine partam. Sed cum nobis de pugna navali nihil traditum sit, equidem diiudicare non ausim.

12. p. 49.

M Antoninus. Aug. Imp. II. vel M. Aurel. Antoninus.
Aug. P. M. TR. P. XVIII. Imp. II. Cos. III. S. C.

13. p. 52.

M. Antoninus. Aug. Parth. Max. Med.

14. p. 92.

L. Verus. Aug. Arm. Parth. Max. Medic.

15. p. 92.

L. Verus. Aug. Arm. Parth. Max.
(Caput laureatum) TR. P. V. Imp. III. Cos. II.
(typis variis prostratae Parthiae testibus).

16. p. 51.

M. Aurel. Antoninus. Aug. Armeniacus. P. M.
(Caput laureatum) TR. Pot. XIX. Imp. III.
Cos. III. S. C.

17. p. 92. cf. n. 15.

18. p. 52.

M. Antoninus. Aug. Parth. Max. Medic.
(Caput laureatum) TR. Pot. XX. Imp. IV. Cos. III.
S. C. (Uterque imperator ramum praetendens in curru triumphali).

19. p. 92.

L. Verus. Aug. Arm. Parth. Max. Med.
(Caput laureatum) TR. Pot. VI. Imp. III. Cos. II. S. C.
(Uterque imperator cf. 18.)

20. Eckhel. III. p. 506.

ΜΑΡχῳ ΑΥΡηλιῳ ΦΙΛΩΡωμαιοι Μητροπόλεως
Α (πρώτης) ΑΙΡ. Caput nudum M. Aurelii.

21. Eckhel. VII. p. 51.

M. Aurel. Antoninus. Aug. Armeniacus. P. M.
Cong. Aug. III. TR. P. XX. Imp. III. Cos. III. S. C.
Duo imperatores sedentes in suggestu hinc Liberalitate, illius alia figura adstantibus, et alia per gradus adscendente.
Eckhelius annotat: Huius quoque congiarii non meminere veteres, sed praebitum haud dubie est occasione Veri incolumis reversi et belli Parthici perfecti.

22. p. 51.

Antoninus. Aug. Armeniacus. P. M.
Liberal. Aug. TR. P. XIX. Imp. II. Cos. III. S. C.
(Liberalitas stans d. tesseram).

23. p. 53.

M. Antoninus. Aug. Arm. Parth. Max.
Cong. Aug. IIII. TR. P. XXI. Imp. IIII. Cos. III.
S. C. (Duo imperatores sedentes in suggestu adstat Liberalitas, alia figura per gradus adscendente.

24. p. 53.

M. Antoninus. Aug. Arm. Parth. Max.
Vota. TR. P. XXI. Imp. IIII. Cos. III. S. C.
(Imperator togatus ad aram sacrificat.)
Suo iure Eckhelius dicit: Sunt haud dubie vota suscepta ad avertenda ingentia mala, quae tum imperium obsedere.

25. p. 57.

M. Antoninus. Aug. Arm. Parth. Max.
In parte adversa legitur: Fort. Red. TR. P. XXII. Imp. V. Cos. III.
(Mulier sedens d. gubernaculum).

26. p. 95.

Divus Verus (Caput nudum). Consecratio.
Aquila, rogus vel ipse sedens in quadrigis elephantorum. Eadem adversa.
M. Aurelius Antoninus. TR. P. XXIII.

27. p. 57.

M. Antoninus. Aug. TR. P. XXIII. (Caput laureatum.)
Liberal. Aug. V. Cos. III.
Liberalitas stans.

28. p. 58.

Profectio. Aug. Cos. IV. S. C.
Imperator eques d. hastam praecedente milite. tribus sequentibus.

29. p. 58.

M. Antoninus. Aug. TR. P. XXIII.
In adversa:
Restitutori. Italiae. Imp. V. Cos. III. S. C.
Imperator paludatus stans mulierem turritam in genua prolapsam et globum tenentem sublevat.

30. p. 59.

M. Antoninus. Aug. TR. P. XXIIII. (caput laureatum)
vict. Aug. Cos. III. vel TR. P. XXIIII. imp. VI.

31. p. 60.

M. Antoninus. Aug. TR. P. XXIIII.
Caput laureatum, in adversa: Fort. Red. Cos. III.

32. p. 60.

M. Antoninus. Aug. TR. P. XXIIII.
Profectio. Aug. Cos. III. vel Saluti. Aug. Cos. III.

33. p. 59.

M. Antoninus. Aug. TR. P. XXVI. (Caput laureatum).
Germanico. Aug. Imp, VI. Cos. III.

34. p. 59.

M. Antoninus. Aug. TR. P. XXV. Imp. VI. Cos. III.
Victoria stans clypeum ex palmae trunco suspensum tenet, cui inscriptum: Vict. Germ.

35. p. 59.

M. Antoninus. Aug. TR. P. XXVI. Germanico. Aug. Imp. VI. Cos. III. S. C. (Tropaeum cum captivo sedente) vel Vict. Germ. Imp. VI. Cos. III. (Victoria in quadrigis triumphalibus.)

36. p. 60.

M. Antoninus. Aug. TR. P. XXVII.
Caput laureatum. Germania subacta. Imp. VI. Cos. III. S. C. Germanus moestus sedens iuxta tropaeum.

37. p. 61.

M. Antoninus. Aug. TR. P. XXVIII.
Caput laureatum. Adventus. Aug. Imp. VI. Cos. III.

38. p. 62.

M. Antoninus. Aug. TR. P. XXVIII. Imp. VII. Cos. III.

39. p. 79.

Faustina Augusta. Matri Castrorum. S. C.
Mulier stans d. pateram s. acerram ad aram sacrificat, iuxta tria signa militaria.

40. p. 62.

M. Antoninus. Aug. Germ. Sarm. TR. P. XXIX.
Imp. VIII. Cos. III.
vel. M. Antoninus. Aug. Germ. Sarmaticus. TR. P. XXIX. Imp. VIII. Cos. III. S. C.

41. p. 62.

M. Antoninus. Aug. Germ. Sarm. TR. P. XXIX. Imp. VIII. Cos. III. Fort. Reduc.

42. p. 63.

M. Antoninus. Aug. Germ. Sarmaticus.
Tk. P. XXX. Imp. VIII. Cos. III.
Clementia Augusti.

43. p. 63.

M. Antoninus. Aug. Germ. Sarm.
Caput laureatum.
Fort. Duci. TR P. XXX. Imp. VIII. Cos. III.
Fortuna sedens d. gubernaculum.

44. p. 81.

Diva Faustina.
Diva Faustina Pia.
Divae Faustinae Aug. Matr. Castror.

45. p. 64.

M. Antoninus. Aug. Germ. Sarm. TR. P. XXXI.
Felicitati. Aug. Imp. VIII. Cos. III. S. C.
(Navis cum multis remigantibus in nonnullis Neptuno in prora stante). Eckhelius annotat: Egregie numnus confirmat id quod de Aurelii proximo maritimo itinere Athenis Romam reversi refert Capitolinus c. 27.

46. p. 64.

M. Antoninus. Aug. Germ. Sarm. TR. P. XXXI. Imp. VIII. Cos. III. P. P.
Aurelius et Commodus in quadrigis triumphalibus, praecedit miles cum tropaeo, superne volitat victoria item cum tropaeo.

47. p. 106.

Imp. Caes. L. Aurelius. Commodus. Germ. Sarm.
(Caput laureatum) TR. Pot. Cos. Uterque imperator in quadrigis. cfr. 46.

48. p. 104.

L. Aurel. Commodus. Caesar. Princeps. Iuv.
Cos. Des. Germ. Sarm.

49. p. 64.

M. Antoninus. Aug. Germ. Sarm. TR. P. XXXI.
Imp. VIIII. Cos. III. P. P. S. C.
vel. Propugnatori. Imp. VIIII. Cos. III. S. C.

50. p. 107.

Imp. Commodus. Aug. Germ. Sarm.
Crispina. Aug. (Capita duo se respicientia, Commodi laureatum et Crispinae).

51. p. 65.

M. Aurel. Antoninus. Aug. TR. P. XXXIII. Imp. X. Cos. III. P. P.

52. p. 65.

Divo Marco. Consecratio.
Divo. Marco. Antonino. Caput radiatum. Consecratio.

Appendix II.

Tituli ad res in commentatione tractatas spectantes.

1. Orelli 1104.
Natales Caesarum
M. ANTONIN XL MAI.

2. J. R. N. 1449 = Orelli 3462.
C. Luccius. C. F. Stel. Sabinus | Beneventi
Decurio | Vivus Sibi Et Ofilliae | Paratae Uxo —
Ri Et Luccio | Verecundo Fratri Posterisque | Suis
Fecit | Militavit In Cohor. Urb. Adiut | Tribun
Orfit. Secutor Optio Valetudi. Optio Arcari.
Singu | Laris Benefic. Tribun A. Quaesti | Onib
Factus Per Annium Verum | Praef. Urbis.
Et. Tesserar. Optio Si | Gnif. Fisci Curat. Optio
Ab Act. Corn | Nicul. Trib. Benefic Vultei
Asiatic | Praef. Urb. Missus Ab Imperatore
Hadriano | Aug. Serviano III Et Vibio Varo Cos.
. . . . Lio Claro Cos | In F. P. XX. In Agro P. XX.

3. Orelli 5475.
Dis Man | Cornificiae | Faustinae Lib | Eupo
Ria | Aram. In. Fronte | Pedes X. In Agro. Ped. XI.

4. Orelli 5476.
Opus Dol Ex Praed Umidi Quadrati | Et
Anniae Faustinae Ex F | Sex Agri Silvini.

5. C. J. Gr. 2965.
Τίτῳ Αἰλίῳ Ἀδριανῷ Ἀντωνείνῳ Σεβαστῷ Εὐσεβεῖ καὶ τοῖς [τέκνοις αὐτοῦ Μ. Αὐρηλίῳ Καίσα]ρι καὶ Φαυστείνῃ Σεβαστῇ καὶ Λουκίῳ Κομόδῳ ἡ πόλις.

6. C. J. L. VI. 3725.
Pro salute
t. aeli antoni
ni Aug. Et M. (ael
au) Reli. Caes. Et
C. Aur. Commodi Fil
ael? Sabinus ⌝ leg
soll. V. S. L. M.
[ann: ⌝ = centurio]

7. C. J. L. II. 1643.
Statuae Sacrae
Imp. Caesaris Titi
Aeli Hadriani Antonini
Aug. Pii Et M. Aurelii
Veri. Caesaris Et C. Aureli
Commodi. Aug. Fil. Aug.

8. Ephem. epigr. II (1875) p. 460.
(Imp Cae)s M. Au(re)lius Antoninus Aug. Armeniac (pontif. m) a(x)(t)rib. pot. XX imp. III cos. III et (imp. Cae)s L. Aurelius Verus Aug. Armeniacus Parthic. (max. t) rib. pot. VI imp. III cos. II proc(os)div(i) (A)n(to)n(i)ni f. divi Hadriani nepotis divi (Traia)ni Parthic pro(n)epotes divi Nervae abnepotes.
(in fine)
a . d . . . . . M. Vibio Liberale P. (Martio Vero cos)

9. Orelli 7277.
M. Aurelio. Vero | Caesari. Imp. Caesaris | Titi
Aelii. Hadriani | Antonini. Aug. Pii P. P. | Filio
Scapharii. Qui | Juliae Romuleae Ne | goti-
Antur. D. S. P. D. D.

10. Orelli 775.
Imp. Caes. F. Aelio Hadriano Antonino Aug.
Pio III | M. Aelio Aurelio Caes. Cos. VIII.K. Maias.
In Municipio In Curia Aelia Augusta
Scribundo Atfuit Universus Ordo.

11. C. J. L. 1009.

M. Aurelio Caesari
Imp. Caesaris T. Aeli Hadriani
Antonini. Aug. Pii. Fil. Divi
Hadriani. Nep. Divi Traiani Parthici
Pronep. Divi Nervae. Abnep. Cos.
Petronius. Mamertinus. Et Gavius Maximus
Tribuni. Cohortium Praetoriarum Decern.
Urbanarum. Trium. Centuriones. Cohortium
Praetoriarum. Et Urbanarum. Et Statorum
Evocati Cohortes. Praetoriae Decern. Et
Urbanae X. XII. XIIII. Centuriae. Statorum
Optimo Ac Piissimo.

12. Orelli 857.

Marco Ae | lio Aurelio | Vero Caesari | Imp.
T. Aeli Caesaris Hadriani Antoni | ni Augusti.
Pii Patris Patriae Filio. Divi. Hadriani.
Nepoti. Divi Traiani Parthici Pro | nepoti
Divi Nervae Abnepoti. Con. II.
Decreto Decurionum.

13. Orelli 865 = Wilm. 976.

Faustinae. Aug. Imp. Caes. T. Aeli. Hadriani. Antonini. Aug. Pii P. P. TR. Pot. X. Imp. Cos. IIII. Filiae M. Aureli. Caesaris. Uxori.

14. C. J. L. VI. 1241.

Imp. Caes. M.
Aurelius Antoninus
Aug. Pont. Max. Trib.
Potest. XV. Cos. III. Et
Imp. Caes. L. Aurelius
Verus. Aug. Trib. Potest. Cos. ii?
Terminos. Vetustate
Collapsos. Exaltaverunt. Et
Restituerunt. R. R. Proximo
Termino. Ped. Positos

Ex Auctoritate
Imp. Caesaris. Nervae. Traiani
Aug. Curante A. Platorio
Nepote Calpurniano Curat
Alvei Tiberis. Et Riparum
Et Cloacarum Urbis.

15. C. J. L. VI. 1523 = Orelli 5480.

(m. stati) O M. F. Cl. Prisco
(l) icinio Italico Leg. Augustorum
Pr. Pr. Prov. Cappadociae Leg Aug(g)
Pr. Pr. Prov. Brittanniae Leg Aug(g)
Pr. Pr. Prov. Moesiae Super. Curator(i)
Alvei Tiberis Et Clacarum Urbis C(os)
Leg. Aug. Prov. Daciae Leg. Leg. XIII. G. P. F. Leg.
Leg. (X) IIII. Gem. Martiae Victricis Sacerdoti Titiali.
(fl) Aviali Pr. Inter Cives Et Peregrinos TR. Pl.
Quaes(t) Proc. Aug. XX Hereditatium Prov. Narbones Et
(p) R EQ. Alae I Pr C. R. Trib. Mil. Leg. I. Adiutr. P. F.
Et Leg. X G. P. (f)
(e)t Leg. (iii) Gallicae Praef. Coh. III. Lingonum vexillo Mil.
(d) Onato A Divo Hadriano In Expeditione Judaic(a)
Q. Cassius Domitius Palumbus.

16. Wilm. I. 1155 = Orelli 3393 = C. R. N 4943.

L. Neratio C. F
Vol. Proculo
XVir Stlitibus Judican.
Trib. Militum Legion.
VII gemin. Felic. Et Leg.
VII Aug. Quaest. Aedil.
Pleb. Cerial. Praet. Leg.
Leg. XVI Flaviae Fidel.
Item Misso Ab Imp.
Antonino Aug. Pio Ad D(e)ducen-
(d)as vex(i)llationes In Syriam Ob
(b)ell(par)thicum Praef. Aerari
Militaris
Cos
Municipes Saepinat.

17. C. J. L. III. 129 = Orelli 5484 = Borghesi IV. p. 164.

Imp. Caesari Divi
Antonini Fil Divi
Hadriani Nep. Divi
Traiani Parth. Pr(o)nep.
Divi Nervae Abnep.
Aurelio Vero Aug.
Pontif. Max. Trib P(o)t II
Cos. II. P. P. Coh. I. Fl. Chal.
E(q) Sa(g) Sub Attidio
Corneliano Leg. Aug.
PR. PR. Per Aelium
Herculanum Praef.

18. C. R. N. 443 = Wilm. 948.
(Hydrunti in via consulari.)

Imp. Caes. M.	Imp. Caes. L. Au
Aurelio Auto	Relio. Vero. Aug.
Nino. Aug. Trib.	Trib. Pot. II. Cos. II.
Pot. XVI. Cos. III,	Divi. Antonini. F.
Divi Antonini F. Divi	Divi. Hadriani
Hadriani Nep. Divi	Nep. Divi. Traiani
Traiani. Parthic. Pro	Parthic. Pron.
Divi Nervae. Abnep.	Divi. Nervae. Ab
Publice	Nepoti
D. D.	Publice
	D. D.

19. C. J. L. 1523. orelli 5480. cf. tit. 15.

20. C. J. L. VI. 1377. Orelli 5478 = Wilm. 636.
M. Claudio F. Q.
Frontoni cos.

leg. Aug. pr. pr. provinciarum Daciarum et | super simul leg. Aug. pr. pr. provincia | Daciar leg. Augg. pr. pr. Moesiae super. | Daciae Apulesis simul leg. Augg. pr. pr. pro | vinciae Moesiae super. comiti divi Veri | Aug. donato donis militarib. bello Ar | memiaco et Parthico ab imperatore An |

tonino Aug. et a divo Vero Aug. corona | murali item vallari item classica item | aurea item hastis puris IIII item vexillis | IIII curatori operum locorumq. publicor | misso ad iuventutem per Italiam legen | dam leg. Augg. pr. pr. exercitus legionarii | et auxilior. per orientem in Armeniam | et Osrhoenam et Anthemusiam ducto | rum leg. Augg. legioni primae Minervi | ae in expeditionem Parthicam deducen | dae leg. divi Antonini Aug. leg. XI Cl. prae | tori aedili curuli ab actis senatus quaes | tori urbano Xviro stilitibus iudicandis | Huic senatus auctorem imperatorem Au | relio Antonino Aug. Armeniaco Medico | Parthico Maximo quod post aliquot se | cunda proelia adversum Germanos | et Jazyges ad postremum pro r. p. fortiter | pugnans ceciderit armatam statuam et | in foro divi Traiani pecunia.
publica cen.

21. C. J. L. VI. 1497 = Orelli 3186.
M. Pontio M. F. Pup.
Laeliano Larcio Sabino Cos. Pontifici Sodali Antoniniano Veriano Fetiali Leg. Aug. Pr. Pr. Prov. Syriae Leg. Aug. Pr. Pr. Prov. Pannon. Super. Leg. Aug. Pr. Pr. Pannon Infer. Comiti Divi Veri Aug. Donato Donis Militarib. Bello Armeniaco Et Parthico Ab Imp. Antonino Aug. Et A Divo Vero Aug. coron. Murali vallari classica Aurea hastis puris IIII vexillis IIII.

22. Orelli 874 = C. J. L. VI. 360.
Junoni Lucinae.
Pro Salute Domus Augustorum.
Imp. Caes. M. Aureli Antonini Aug. Armeniaci Parthici Maximi Medici Et Faustinae Aug. Eius Et
Imp. Caes. L. Aureli Veri Aug. Armeniaci
Parthici Maximi Medici Et Lucillae Aug. Eius.
Liberorumque Eorum.
Fortunatus Decurialium Gerulorum Dispensator Aram Cum Base Consecr.
(in latere sinistro):
Permissu Maeci Rufi Curat. Aedium:
(in latere dextro):
Consecravit X K. Sept.
(Q. Ser.) vilio Pudente L. Fufidio Pollione C(o)s.

23. Wilm. 951 = C. J. L. III. 1450.

Divo Vero Parth. Max. Fratri | Imp. Caesaris M. Aureli Antonini Aug. | Armemiac. Medic. Germ. Parth. Max. | Tribunic Potestatis XXVI. Imp. V. P. P. | Cos. III Procos. | Colonia Ulpia Traian. Aug. dac. | Sarmizegetusa.

24. Orelli 5489.

D. M. | Jul. Vict. Martial. F. | Ob Au.
Lu | Bessa. Juvenis F4ΘAι xL<? |
Novella Essimi F. Ob A. XVIII. Victorinus.
Parentib. | Et Coniugi. E. Victorinae | Fil.
Fecit | H. Qui. Per. Luem. Vita. Functi. Sunt.
Mamertino. Et. Rufo Cos. | Et. Aur. Sustino.
Fratri ML | Leg. II. Ital. Stipend. XΘAxxx.

25. Wilm. 1426 = C. J. L. III. 1979.

Imp. Caes. M. Aurel | Antonino. Aug. Pont. |
Max. TR. Pot. XXIIII. Cos. III. | Vexillationes. Leg.
II. Piae | Et III. Concordiae. Ped. CC. | Sub. Cura.
P. Aeli. Amyntiani | ¬ Frumentari.
Leg. II. Traian.

(Legiones II Pia et III Concordia, nusquam praeterea sub his nominibus memoratae, sine dubio sunt duae institutae a M. Aurelio II. et III Italica).

26. Wilm. 1154.

(l. neratio l. f. vol. marcello | Cos. leg. | Divi. Traiani. Aug. Prov. | Britanniae. Curat. Aquar. |
Pr. Trib. Mil. Leg. XII. Ful. | minat. Salio.
Palat. Quaest. | Aug. Curat. Actorum. Sena | tus Adlecto.
Inter. Patric. | Ab. Divo. Vespasiano.
III. Vir. AAAAFF | Ex. Testamento | Ab. Divo.
Vespasiano. III Vir. Vettillae. Eius.

27. Wilm. 1261.

Sex. Julio. Sex. F. Quir. Possessori | Praef. Coh. III. Gallor. Praeposito. Numeri. Syror. Sagittarior. Item. Alae. Primae. Hispa | nor. Curatori. Civitatis. Romulensium. M. Arvensium. Tribuno. Mil. leg. XII. Fulminat. | Curatori. Coloniae. Arcensium. Adlecto | In Decurias. Ab Optimis. Maximisque | Imp. Antonino. Et Vero. Augg. Adiu | tori. Ulpii. Saturnini. Praef. Annon. | Ad

Oleum. Afrum. Et. Hispanum. Recen | sendum. Item Solamina. Transfe | renda. Item. Vecturas. Navicularіis Exsolvendas. Proc. Augg. Ad | Ripam. Baetis Scapharii. Hispalenses. Ob Innocentiam. Justitiam | que Eius. Singularem.

28. Waddingt. 2212.

Ὑπὲρ σωτηρίας τοῦ κυρίου Αὐτοκράτορος Καίσαρος Μ. Αὐρηλίου Ἀντωνείνου Σεβαστοῦ καὶ τοῦ σύνπαντος οἴκου καὶ νείκης, ἔτους ἑνδεκάτου, ἐ(πὶ Ἀουϊδίου Κασσίου τοῦ λαμπροτάτου ὑπατικοῦ) καὶ Κυριναλίου Γεμέλλου ἑκατοντάρχου.

(Verba uncis inclusa erasa quidem sunt, sed teste Waddingtonio ita, ut sine difficultate legi potuerint.

29. Wadd. 2239.

Ἔτους θ' αὐτοκρ. Μ. Αὐρηλίου Ἀντωνείνο(υ) καὶ Ἀουϊδίου Κασσίο(υ) ὑπα γα . . . . . ἀγκτις ἡ κώμη εὐχαριστεῖ.

30. Wadd. 2438.

Ἔτους θ' ὑπὲρ σωτηρίας καί νείκης αὐτοκράτορος Μ. Αὐρηλίου Ἀντωνείνου Σεβ. Ἀρμενιακοῦ Παρθικοῦ Μηδικοῦ μεγίστου, ἐπὶ Ἀουϊδίου Κασσίου τοῦ λαμπροτάτου ὑπατικοῦ, ἐφεστῶτος Τ. Αὐρηλίου Κυριναλίου (ἑκατοντάρχου) λεγ. γ. Γαλλικῆς, Τ. Κλ. Μάγνος, οὐετρανός, Ἀεριτηνός ἀνέγειρεν τὴν πύλην ἐκ τῶν ἰδίων ἀπὸ θεμελίων μέχρι τέλους.

31. Waddingt. 2525 = C. J. G. 4544.

Ὑπὲρ σωτηρίας καὶ νίκης τῶν κυρίων Αὐτοκρατόρων Μ. Αὐρηλίου Ἀντωνείνου καὶ Λ. Αὐρηλίου Οὐήρου Σεβ. Φαινήσιοι ἀφιέρωσαν ἐπὶ Ἀουϊδίου Κασσίου πρεσβ. Σεβ. ἀντ. ἐφεστῶτος Ἐγνατίου Φούσκου ἑκατοντάρχου λεγ. γ' Γαλλικῆς.

32. C. J. L. VI. 1014.

S. P. Q. R.

Imp. Caes. Divi. Antonini. Fil. Divi. Veri. Parth. Max. Fratri.
Divi. Hadriani. Nep. Divi. Traiani. Parth. proNep. Divi. Nervae, Abnep.

M. Aurelio. Antonino Aug. Germ. Sarm.
Pontif. Maxim. Tribunic. Pot. XXX. Imp. VIII. Cos. III. P. P.
Quod. Omnes. Omnium. Ante. Se. Maximorum.
Imperatorum. Glorias
Supergressus. Bellicosissimis. Gentibus. Deletis. Aut. Subactis.
. . . . . .

THESES CONTROVERSAE

QUAS UNA CUM

COMMENTATIONE HISTORICA,

QUAE INSCRIBITUR

QUAESTIONES HISTORICAE ATQUE CHRONOLOGICAE AD VITAM RESQUE GESTAS IMPERATORIS M. AURELII PERTINENTES.

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM ACADEMIA REGIA MONASTERIENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

DIE XVII. MENSIS DECEMBRIS A. MDCCCXCI

HORA XII

IN PUBLICO DEFENDET

BERNHARDUS BROCKAMP

GUESTFALUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

HERMANNUS LEPPERMANN, DR. PHIL. ET CAND. PROB.
MATTHIAS PAULUS, DR. PHIL.
IOSEPHUS MAYER, CAND. PHIL.

MONASTERII GUESTF.

EX TYPOGRAPHIA ASCHENDORFFIANA.

MDCCCXCI.

THESES.

I.

In Sophocl. Philoct. v. 175 cum Ferd. Schultz *παλαχαί* pro *παλάμαι* scriptum velim.

II.

Ib. in versu 779 eiusdem viri doctissimi coniectura *τ'αὐτά* pro *ταῦτα* mihi probatur.

III.

In M. Aurelii imperatoris libro: *Τῶν εἰς ἑαυτόν* l. 14 verba *τοῦ ἀδελφοῦ μου* delenda esse contenderim.

IV.

In Ael. Spart. V. Hadriani XXIV. 1 pro „Annium Verum" scribam „Antoninum Verum".

V.

Epistulas, quas de Avidii Cassii motu M. Aurelium et Faustinam scripsisse ac rescripsisse Vulcatius Gallicanus narrat, (V. Av. Cas. IX, sq.) genuinas atque sinceras esse pro certo habuerim.

VI.

Athamanes Epirotarum genti attribui non posse puto.

VITA.

Natus sum Bernhardus Brockamp in vico Vohren Guestfalorum a. d. XVII. Kal. Ian. anni h. s. LXVI., patre Henrico, matre Gertrude e gente Fischer. Patrem morte mihi esse ereptum valde lugeo. Fidem profiteor catholicam. Litterarum elementis imbutus per sex annos gymnasii Warendorpiensis discipulus fui, quod vere a. h. s. LXXXVII testimonio quod vocant maturitatis instructus reliqui. Eiusdem anni mense Aprili in numerum civium almae litterarum academiae Monasteriensis receptus per novies senos menses studiis historicis atque philologicis operam navavi. · Docuerunt me VV. DD. Niehues, Kaufmann, Storck, Langen, Stahl, Koerting, Spicker, Hagemann, Finke, Milchhoefer, Iostes. Seminarii regii historici, cui praesunt Niehues et Kautmann per ter senos menses sodalis ordinarius, philologici, cui praesunt Langen et Stahl, per quater senos menses sodalis extraordinarius fui.

Omnibus viris, qui me docuerunt, gratias ago quas debeo maximas.

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
1010651918

REPLACEMENT ORDERED
1/3/91

BRITTLE DO NOT
PHOTOCOPY

Q7285620

874.
Z8 V6 CL
THESES